S O P H O C L I S

☞*K*☜ A N T I G O N E.

Interprete Thoma VVatſono *I. V. ſtudioſo.*

Huic adduntur pompæ quædam , ex ſingulis Tragœdiæ actis deriuatæ; & poſt eas, totidem themata ſententijs refertiſsima ; eodem T H O M A W A T S O N O Authore.

¶VBIQUE {illustration} FLORESCIT.

☞IOH. MAVRITIVS.☜

L O N D I N I
Excudebat Iohannes VVolfius,
1 5 8 1.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

☙ NOBILISSIMO

PROCERI, CLAROQUE MUL-
tis nominibus PHILIPPO HOWARDO
Comiti Arundeliæ, THOMAS WATSONUS
ſolidam fœlicitatem precatur.

N *Obilibus prædiues auis, virtutibus aucte,*
Dotibus Aonijs nobilitate Comes
Accipe tantilli iuuenilia carmina vatis,
Et multi modicum volue laboris opus.
Nec mea Callimachi,neq́ Coi Muſa Philætæ eſt: 5
Quodq́ ferat, vulpes nil niſi tegmen habet.
Sed curant hominum mentes,non munera Diui:
Ergò age, cœlitibus par , imitare Deos.
Quìd ſi mendoſus fuerit meus iſte libellus ?
Quìd ſi neglecto carmine culpa ſubeſt ? 10
Candida & atra ſuo perluſtrat Cynthia vultu :
Phœbus adit radijs candida & atra ſuis.
Veſtraq́ conſueto capiet clementia vultu,
Quæ ſunt in verſu candida & atra meo.
Marſiæ, Arachnæ, Iri, Smyntheus, Tritonia, Crœſus, 15
Cantus , fila, ſtipem, poſtulat , optat , amat ;
Cantus , fila, ſtipem, Smyntheus, Tritonia, Crœſus,
Nec dedignatur, muſicus,alma, potens.
Tuq́ minora meis (recinit ſi vera popellus)
Carmina carminibus muneris inſtar habes. 20
Atq́ ego non tanti primæuos duco Poetas,
Vt nihil in noſtris laudibus eſſe velim.
Forſitàn & Phœbo, feciq́ volente Minerua,
Vnde meo partus Marte triumphus eat.
Tu benè ſi cenſes, ego te cenſore beatus 25
Apponam ſtimulos viribus ipſe meis.
Et faciam lætus quod multi ſæpè rogarunt,
Plura vt ſub præli pondere ſcripta crepent.
Ipſe licèt Momus vano ſubmurmuret ore,
Inuidus & piceo Zoilus vngue premat : 30

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Iudicij cenſura tui ſuperabit vtrumque,
Et capiti ponet laurea ſerta meo.
Inde ſatis fœlix, dicar tuus eſſe Poeta,
Et famulus fieri cum Ganymêde Iouis.
Scilicet hoc olim cœpi ſperare lucellum, 35
Dum ſtudijs totus tempora prima dedi :
Dumq́ procùl patria luſtrum mediumq́ perêgi,
Diſcere diuerſis ædere verba ſonis.
Tùm ſatis Italiæ linguas moreſq́ notabam ;
Et linguam, & mores Gallia docta tuos. 40
Vt potui, colui Muſas , quòcunq́ ferebar :
Charus & imprimìs Iuſtinianus erat.
Sæpè ſed inuitam turbauit Pallada Mauors,
Sæpè meo ſtudio bella fuêre moræ.
Caſtra tamen fûgi, niſì quæ Phœbeia caſtra 45
Cum Muſis Charites continuêre pias.
Bartole magnus eras, neq́ circumferre licebat,
Nec legum nodos Balde diſerte tuos ;
Arripui Sophoclem, docui miteſcere Muſas :
E Græcis pepigi metra Latina modis. 50
Talitèr abſumens turbatas vtilis horas,
Antigonen docui verba Latina loqui.
Momenti res magna, meis quoq́ viribus impar,
Nî daret ipſa mihi ſedula Pallas opem.
Tandem opus exactum volui lacerare, vel igni 55
Tradere, quòd Latio Græcia maior erat.
Plurima ſed vetuit prudentûm turba virorum :
Me ſimùl Eulogijs concelebrâre ſuis.
Indè rudes iterùm cœpi limare camœnas,
Et magìs intenta conſolidare manu. 60
Tùm quærendus erat , mihi qui P atronus adeſſet,
Et mea qui tegeret numine ſcripta ſuo ;
Qui Phœbo charus, Muſis qui charus alumnus
Eſſet, & Aonij fontis amaret aquas;
Qui claris ortus proauis, pietatis amicus 65
Eſſet, & ipſius candida cura Iouis ;
Tu quia talis eras, & maſculagloria regni,
Supplice Mœcænas voce vocandus eras.

<A5v> *Ergò*

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Ergò tantilli non aſpernare clientis,
Quod tua iàm virtus ſola popoſcit , opus. 70
Fabula trita, olìm murem feciſſe, Leoni
Quod ſatìs acceptum, quodq́ ſalûbre fuit.
Quàmuis indignus, quàmuis ignotus adeſſet,
Sumpſit ab infirmo paupere Pyrrhus aquam.
Sic mihi ſit facilis cultura potentis amici, 75
Sim licèt ignotus, nec meruiſſe queam.
Velle meum pro poſſe datur, pro munere carmen,
Et cupit Antigone charior eſſe tibi.
Charior eſſe tibi ſperat, quàm chara Creonti,
Quàm fuerit patrio vel peramata ſolo. 80
Iamq́ reuiuiſcens, & Muſis ducta Latinis
Hùc venit, & Thœbis ampliùs eſſe timet.
Mira tibi referet, ſi vis miracula noſſe :
Atq́ pium faceret , nî pius antè fores.
Illicitam legem tumidis mordebit Iambis ; 85
Faſcibus impauido præferet ore Deos ;
Tum quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Dicet : & imperij quàm ſit amarus amor ;
Quàm noceat veri monitus contemnere vatis :
Quàm vertat celerem Sors maleſana rotam ; 90
Principis & placitum quàm pendula turba ſequatur,
Et quanti faciant cætera membra caput.
Hæc, & plura tuis planè præfiget ocellis
Antigone, ſtudio docta docere meo.
Viue, vale Generoſe Comes : quot ſæcula ceruus 95
Viuit, tot fœlix ſæcula viue : vale.

Veſtri honoris obſeruantiſsimus,
Thomas Watſonus Londinenſis.

A 4 <r> VER-

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

VERSVS ALIQVOT DESCRIPTI
EX EPISTOLA QVADAM AD THO:

Watſonum data,dum eſſet Lutetiæ, vt varia ſua poemata in lucem exponeret .

S I noſtræ tecum preculæ Watſone, valerent,
Non tua tot chartis ſcrinia plena forent;
Sub prælo tua Muſa foret, lucemq́; viderent
Iudice quæ Phæbo candida metra facis.
Atq́; ego ſi quicquàm ſapio, nouiq́; Helicona, 5
Carminis ille tui eſt ex Helicone liquor.
Claſsica ſiuè canis, teneros ſeù dicis amores,
Mars tumido, tenui carmine geſtit amor.
Thuſcanus Petrarcha tuo ſtat carmine diues:
Mundo vtinam fieret notior ille labor. 10
Plebs ignara licèt Phæbeæ frondis honores
Negligat, & quicquid clarius eſſe poteſt :
Tu tamèn a doctis doctus dicêre Poëta,
Inq́; ſuo precio nobile carmen erit.
Præſertìm Antigonen vel Zoilus ipſe probabit, 15
Ad prælum duci ſi paciaris opus.
Ergò tuum celebris portet ſuper æthera nomen
Fama, nec in tenebris ampliùs eſſe ſinat.
Nàm licèt es iuuenis, tamen haùd iuuenilia pangis,
Et vena polles, ingenioq́; bono. 20
Ah pudet vlteriùs iuuenem laudare ſenili
Carmine, quòd noſtro carmine maior eas.
Eià age; percolito dulces ante omnia Muſas :
vtilis ille labor, dulcis & ille labor.
Sed Venus irata eſt, dum celas carmen amoris : 25
Phæbus & ipſe dolet, dum ſua dona tegis.
Si ſempèr Danaën tenuiſſet ahænea turris,
Aurea non eſſent pondera nota Iouis.

Stephanus Broelmannus
Agrippinenſis, Poeta.

<A4*v*>

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Τὸ τῆς Α΄ντιγόνης σοφοκλείας, μεταφρασθείσης ὑπὸ θωμᾶ ούατσώνου έκ τῆς ἐλληνικῆς ἐις την᾽ ρωμαικὴν γλῶσσαν έγκώμιον,
ὑπ΄ Ἰωάννου κώκου ἠρωικῶ Τριακαιδεκαστίχῳ έκπεπονημένον.

ὡς φάος ἠελίοιο τὰ ἄστρα μὲν ἄλλ΄ έπιβάινει,
καὶ τραγικῶν ὅυτω πολὺ φέρτερος έστὶ σοφοκλῆς.
ὡστε ὁυατσώνου πόνος ἄξιος έστιν έπάινου,
ὅσγε κατ’ άντιγόνην σοφοκλοῦς έδίδαξε λαλῆσαι,
Τῳ˜ λόγῳ ἡμετέρῳ, χαρίτων τοι τ΄ ἄγλαα δῶρα, 5
Τὴν μὲν ἔην, Μουσῶντε τὰ ἀβράπερ ὅυατα θέλγειν.
Ἀντὶ ὅτων ἀινεῖτε θεὸν ὅς ἔδωκε βριτάννοις
Τόν δε νέον, τέχνης πρῶτον τοίησδε διδάκτην.
ὡς καλῶς ἦρξ’ οὖν, ὅυτω καὶ τ΄ ἔργα τελέσσαι
Αὕτῳ μὲν δοίη θεος, ὅσπερ ὑπέρτατα ναίει 10
δώματα, καὶ ἄνδρων ἴλεως το πρᾶγμα κυβερνᾳ.
ὗυ γὰρ τοῦτο μόνόν τὸ δρᾶμα μεν έργοπονήσε
ἀλλὰ ἔοις ἐτερ’ έργάσει πάμπολλα βροτοῖσι.

{illustration}

<u>*B*</u>*<1r>*

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

AD LECTOREM.

E Rgò non ſolæ laudem meruêre Mycenæ
Carminis, & tripodem mentis Appolliniæ.
Fas quoq; diuiſis famam ſperare Britannis,
Frigida vbì tardus plauſtra Bootes agit.
Fabula, quam fecit ſublimi digna cothurno 5
Græcia, fit Latium : parq; in vtraque decus.
Muſa Sophoclæas Watſoni imitata camœnas
Iſmeniden Latio reddidit ore loqui.
Lector amice, pudet charum laudare ſodalem:
Tu ſupple noſtræ crimen amicitiæ. 10

Philippus Harriſonus , Iuris
Vtriuſque Licentiatus.

In Thomæ Watſoni Antigonen.

S I ſua Romano ſpaciari carmina campo
Iàm viuus Sophocles optaret :
Te cuperet Watſone dari, Phœbo vnica cura,
Qui Sophoclem faceres Romanum.
O magnam, ſi vera, (inquit turba inuida) laudem : : 5
At iuueni has contingere dotes ?
Quid vetat ? & minimè mentitæ laudis apertum
Hæc erit Antigone argumentum :
Quæ ſi Græca fuit Sophoclæo digna cothurno,
Prodit non indigna Latina. 10

Franciſcus Yomans.

D Vm parat Antigone Polynicis funera fratris,
Virginis aſpergit ſanguine buſta Creon.
Exhibet hæc Graio Sophocles ſpectanda cothurno :
Non ſatìs aſt Graia fabula voce placet.
Nè ſenis ergò foret Sophoclis labor irritus, ecce 5
Watſoni eſt Latio Muſa legenda ſono.
O vtinam tam poſſe mihi, quàm velle daretur,
Euehere excubias pleniùs ore tuas.

Chriſtoforus Atkinſonus Medicus.

<B1*v*>

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

AD THOMAM WATSONVM DE
ſua Sophoclæa Antigone.

Antigonem laudare tuam (Watſone) volenti
Aſpice quæ dubiæ ſit mihi cauſa moræ.
Cogito cui laudem , ne fruſtra deniquè laudem :
N am non lecturo Laus erit omnis iners.
Vanius at multò fuerit laudare Legenti, 5
Vt potior multò eſt ars tua laude mea.
Ergo ego non laudem, quod non laudare ſcelus ſit ?
Abſit : erit ſcelere hoc crimen, inane , minus .
Hanc ſi nemo legat , nulli laus noſtra moleſta eſt :
Si ſua ſufficiat laus , mea nulla nocet. 10
Antigone laudes, laudes natura meretur
Præfatrix , laudes addita Pompa ſuas.
Antigones tecum Sophocles partitur honores,
Integra ſunt laudis poſteriora tuæ.
Et mea ſi quod habet iuuenilis opinio pondus, 15
Qui tua non laudat , deteriora dabit.
C. Downhalus.

In Thomæ VVatſoni Antigonen.

ANnè Sophoclæo Genio fas laude litare ?
Fas eſt thure Deo, laude litare viro.
Tum Watſone tibi victurâ laude litandum :
laus tua ſitq; tibi quod ſua thura Ioui.
Namq; Sophoclæus Genius tibi mente receptus 5
Inſidet, Auſonium ſeq; ſubindè ſtupet.
Antigonem quicunq; legit, ſic iudicat ; illam
Qui lêget, relegit ; quiq; relêgit amat.
Vnus in alterutro Genius sìc eminet, vno
Alterutro, Tragicis vnus vterq; modis. 10
Perculit ille ſuis numeris Orcheſtra Pelaſgûm,
Tu pompis Latijs noſtra Theatra quatis.
Verba illi Græco, vernant tibi flore latino,
Venaq; dicendi diues vtriq; fluit.
Sed tibi quid laudesvenâ de paupere promo? 15
Sic ſolem fumis irradiare paro.
En victura comas Phæbi tibi laurus obumbret :
Et decus hoc minus eſt, quàm meruiſſe decus.
Guil. Camden.
<B2*r*>

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

VITA SOPHOCLIS
EX SVIDA.

SOphocles Sophili filius, Colonæus, Athænienſis, Poeta Tragicus, natus eſt circiter ſeptuageſimam tertiam Olympiadem : vt Socrate maior natu ſit annis xvij. Hic primus tribus vſus eſt actoribus : ideoq; appellebatur τριταγωνιστὴς. Primus etiàm Chorum introduxit ex iuuenibus quindecim conſtitutum , quùm anteà ſolùm ex duodecim fuiſſet. Appellatus eſt autèm apis propter eloquij dulcedinem. Ipſe etiàm incepit oppoſitis eiuſdem argumenti fabulis certare . Scripſit etiàm Elegia, ac Pæanas, ſolutamq; orationem: in qua de Choro aduerſus Theſpin ac Chærilum certauit. Filios autèm habuit, Iophontem , Leoſthenem, Ariſtonem, Stephanum, & Menecliden . Mortuus eſt poſt Euripidis obitum, anno ſexto . Porrò fabulas docuit 123. Et, vt quidam ferunt, multo etiàm plures. Victorias autèm retulit viginti tres.

{illustration}

ARGV-

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

ARGVMENTVM ANTIGONES,
per Tho. Watſonum.

POlynicen a fratre ſingulari certamine interemptum, Creon inhumatum proijciens , edicit nè quis eum ſepultura afficiat,mortem ſepelienti pænam minitatus. Illum germana ſoror Antigone ſepelire aggreſſa eſt, & clam cuſtodibus ex puluere tumulum ingeſsit. Cuſtodibus mortemCreon minitatur , nisì ſepulturæ authorem deprehenſum darent. Illi puluerem cōgeſtum amouentes, in ſpeculis adhúc excubabant. Accedens Antigone, et nudatum cadauer inueniens, eiulatu ſeipſam indicat : quam a cuſtodibus traditam Creon condemnat, viuamq́; effoſſo monumento includi iubet. Ob hæc Hæmon Cræontis filius qui virginē ſibi deſponderat, ſeipſum iuxta puellam ſuſpendio pereuntem gladio trucidat : Cuius interitum gravitèr et acerbè ferens Creontis coniux Eurydice,ſeipſam interficit. Poſtremo Creon filij & vxoris fata miſeranda luget.

{illustration}

Natura

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

NATVRA ARGVMENTVM FABVLÆ

hic iterum retexit, Iambico

Trimetro.

Thoma Watſono Authore.

N Atura mundi Domina ſublimis vocor,
Vitæq; rectrix integræ, & rerum parens ;
Vigent & extant omnia officio meo :
Impia nouercam monſtra me ſolam ſciunt.
Fœcunda frugum terra, ventoſum mare, 5
Flammantis æthræ circuli, & geminus polus,
Virtute pendent, eminent, durant mea :
Immota cedo nemini, ſum æqua omnibus;
Nil, ſi reluctem, prorſus ex voto cadit.
Pictura vultus ſæpè mentitur meos : 10
Sequiturq; , ſed non aſſequi quicquàm valet,
Sua colores arte qui pingit meos.
Sum Æqui columna, iuris & legum baſis:
Vis eſſe fœlix ? viue Natura duce.
Tanta eſt poteſtas noſtra. Sed ſpernor tamen, 15
Measq; leges plurimi frangunt mali :
Perijt ſacratum iuris humani decus,
Pietas, pudorq;, ac exulat mundo fides.
Thæbana quoties iſta iàm noſtrum domus
Exoſa numen, debitas pænas dedit ? 20
Quod præmonenti non mihi fecit malum ?
Hic, cui pedalis nomen adiecet tumor,
Rex Oedipus, quæ monſtra ſæuus protulit ?
Suum necauit ſtipite infauſto patrem ?
Nefaſq; maius fecit, (effari pudet:). 25
Inuiſa proles iunxit incæſtos toros
Cum matre: diro miſcuit cædem ſtupro :
Quod bruta abhorrent, fecit & fratres ſibi.
Impunis autèm iura non læſit mea.
Animus remordens impias in ſe manus 30
Intulit, & oculos dextera euulſit truces.
Erratq; pulſus iàm procùl patria ſua,

<B3*v*> Comitautur

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Comitantur illum mors, tremor, tabes dolor.
Genitrix & vxor hìnc mariti & filij
Percuſſa dira clade, natᵘræ ſuæ 35
Inuidiᵗ, arcto ſtrinxit & laqueo gulam.
Poſthæc paternum ad filios ſceptrum venit,
Fœduſq; firmant, regni vt obſeruent vices,
Sibiq; cedant mutuò : Sed (pròh nefas)
Statìm ſoluta eſt fœderis pacti fides. 40
Nàm iure pacto primus accepto negat
Cedere : meum ius temnit : (at fratrum fides
Quàm rara ?) regnat nobilis periurio.
At regna repetens frater, & ſceptum patris,
Exiliaq; ægrè dura Polynices ferens, 45
In arma populos Græciæ cunctos mouet ;
Ferox ruinam patriæ ferro ſtruit,
Deos Penates igne funeſto petit,
Ius omne frangens, hoſtis infenſus ſibi,
Læditq; regnum, quod ſibi quærit dari. 50
Sed mox ſceleſtas inuicèm armati manus
Vulneribus ambo mutuis cæſi cadunt.
Iamq; inſepultus alter, eiectus feris,
Fit præda canibus, vulturi obſcæno, & lupis.
Accedit hic ad argumentum præſentis fabula Quìn ſcelera vel adhùc iſta molitur domus: 55
(Sola futura ſcire conceſſum eſt mihi)
Prodibit, en, iàm triſtis Antigone, & dolens
Nondum ſepultum, puluere iniecto teget
Animoſa fratrem, victa et affecto pio,
Idem rogabit iuncta vt efficiat ſoror. 60
Sed miſera nondùm cernit, affectum rudem
Debere patriæ legibus locum dare.
Mox ergò Regis iuſſa perfringens palàm
Incluſa tumulo ſaxeo pænas dabit.
Creonq; porrò ſceptra crudelis tenens 65
Dùm vult remittiiure de ſummo nihil,
Sed vſq; durus mente in incepta manet ,
Nèc ſanguinis, nec liberûm, nec coniugis ,
Nèc vatis æquum prædicantis publicè,
Nèc ciuitatis curam habens, iras meas 70

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

ARGVMENTVM ANTIG.

Sentiet acerbas. Namq; luctu flebili
Replebo, & omnem clade confundam domum.
Nati videbit funera & ſponſæ ſimúl :
Namq; hic puellæ, aſt illa fato filij
Perculſa, vterq; ſanguinem perdent ſuum. 75
Senex miſellam vitam in ærumnis aget.
Vos ergò famuli diſcite ex tantis malis,
Quàm ſit ſalubre iura Naturæ ſequi.
Inuitaſi ſim, ritè procedet nihil.

Argumenti finis.

Mutuatum ex Naogeorgi annotationibus in Sophoclem.

Scena huius fabulæ coſtituitur Thebis Bœoticis. Et ſcribunt aliqui, Sophoclem Sami præfecturam adeptum, quòd Antigonen optimè docuiſſet. In ſcenam veròbis & tricies relata & acta eſt.

PERSONÆ.

Antigone.
Iſmene.
Chorus ſenum Thebanorum.
Creon rex Thebarum.
Nuncius vnus ex cuſtodibus cadaueris.
Hæmon filius Creontis.
Tyreſias augur, ſeù vates.
Eurydice vxor Creontis.
Famulus.

SOPHO:

<B4*v*>

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

SOPHOCLIS ANTIGONE THOMA WATSONO INTERPRETE.

Præfatur autem Antigone.

O Stirpe eâdem Iſmena germanum caput,
Superatnè nùnc ex Oedipi quicquam malis,
Quod non adhûc effudit in nos Iuppiter ?
Nil nec doloris,nec calamitatis capax,
Nec turpe,nec nota eſt inuſtum infamiæ, 5
Quod non ego vtriuſque conſpexi malis.
Nunc Ciuibus (ſic fama)regno qui præeſt
Hoc vniuerſis nuper edictum tulit,
Noſtinè quodnam edocta ? nùm,quæ ab hoſtibus
Nefanda amicis accidunt,neſcis mala ? 10
Iſmene. Sermo de amicis nullus Antigone mihi
Nec lætus acceſsit,nec ingratus,duæ
Ex quo ſumus duobus orbæ fratribus
Vna die manu peremptis mutua.
Poſt nocte in hac fractas Achiuûm copias 15
Quæ contigerunt,ipſa ſum rudis: magìs
Miſeronè ſint res,an bono poſitæ ſtatu.
Antigone. Iſtuc ſatis cognoui,& e porta pedem
Hac gratia tecum extuli,vt ſola audias.
Iſmene. Quid eſt ? aliquid agitata pruris eloqui. 20
Antigone. En fratribus dirus Creon tumulum inuidet :
Huic honorem, at alteri probrum intulit.
Namque Eteoclem,vt prædicant, iniecta humo
(Æqui ſequutus debitum & iuris modum)
Obduxit, inferis probandum mânibus. 25
Polynicis occiſi cadauer flebile
(Vt dicitur)propoſuit edictum omnibus,
Ne defleat quiſquam,ſepulchro nec tegat.
Infletum & inhumatum in ſolo aprico ſinant
Dulcem famelicis eſſe vulturibus cibum. 30
Talia mihi (me memoro maximè) & tibi
**Ironice.* *Bonus ille promulgaſſe perhibetur Creon.
Palam hûc quoque eadem expromet aduentans,rei

C<1*r*> Geſtæ

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Geſtæ imperitis: rémque non vt nullius
Exiſtimabit ponderis. Porrò eſt reo 35
Decreta mors,a plebe ſaxis obrui.
Sunt hoc loco res conſtitutæ: ergò citò
Patefacies,ſis nobilíſne,an improba.

I m ene Quidnam, ô miſera(ſi huc res redit)germanum humans
Ego ſoluta lege proficerem ampliùs ? 40

Antigone An ſis opere ſutura communi,vide.

Iſmene Quale iſtud inceptum eſt?quid es ſententiæ?

Antigone Mecum leuare hoc num cadauer tu velis ?

Iſmene Num ciuibus ſepelire eum inuitis ſtudes ?

Antigone Fratrem meum,tuúmque, ſi tu negligas, 45
Nunquam vt putarer prodidiſſe perferam.

Iſmene O miſera, ſi contrarium iubeat Creon ?

Antigone Illi nefas eſt me a meis præcludere.

Iſmene Eheu mihi: tecum hæc(ſoror)puta:pater
Vt noſter humilis perijt,inuiſus,miſer ; 50
Scelus ipſe deprendens ſuum,ambo lumina
Radice ab ima propria euulſit manu.
Coniux deinde & mater(heu geminum malum)
Laqueo ſibi vitam retorto ſuſtulit.
Poſt hæc eâdem luce germani duo 55
Se clade funeſta necantes, mutuo
Inglorium rupêre fatum vulnere.
Nos ergò iàm ſolas relictas cogita
Quàm triſte mox læthum manebit, iure ſi
Rupto, Tiranni imperia tranſgreſſæ impia. 60

, , Imo iſtud animo agitare par eſt,fœminas

, , Nos eſſe: nec certare cum viris decet.
Tùm præter hæc, potentiores nos regunt.
Locum hiſce vel grauioribus demus malis.
Facti ipſa veniam ab Inferis ſupplex petam: 65
Nam vis ad inuitam patrare compulit.
Illi obediam vltrò,quiſquis imperio præeſt.

, , Temerè ad opus qui fertur, amentem puto.

Antigone Nec ego impera bo, nec ſi idem poſt maximé
Optaueris, mecum exequi libens ſinam. 70
Atſcito, vtvt tibi hæc videntur, illum ego

<C1*v*> Humabo

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Humabo, Mors mihi hoc patranti egregia erit,
Amica vitam cum illo amico deſeram,
Clàm iuſta ſoluens.Namqùe temporis manet
Plus,quo Inferis,quam his,qui ſuperſunt,obſequor. 75
Illìc iacendum vſqùe eſt. Tibi hoc ſi ſit ratum,
Cœleſtium violato Diuûm numina.

Iſmene Ego numen haud violabo: verùm ciuibus
Hoc facinus inuitis facere non ſum potis.

Antigone Prætexe tu iſtæc. Verùm ego dulciſsimo 80
Fratri ſepulchrum iam dare hinc me conferam.

Iſmene Heu me,tibi miſeranda quàm metuo malè.

Antigone Ne te mei timor occupet, tibi prouide.

Iſmene At nemini, dùm ætatem agas, impertias
Factum hoc : habe ſecretum, & vnà tecum ego. 85

Antigone Hei mihi : reuela, multò eris ſilentio
Inuiſior, niſi omnibus id effutias.

Iſmene In frigidis calidum nimis cor poſsides.

Antigone Scio,maximè quibus obſequi me conuenit.

Iſmene Si liceat; atquì immenſa demens expetis. 90

Antigone Ergò libens, cùm non valebo, deſinam.

Iſmene , , Stultum eſt ſequi id, quod aſſequi omninò nequis.

Antigone Sic ſi profaris, maximo eris odio mihi:
Inimica iure mortuo æſtimaberis.
Verùm ſine temeritatis huius me graues 95
Pœnas luere. Parebo tantùm nemini,
Vt non breuem hanc cum gloria vitam exuam.

Iſmene Si conſtitutum habeas, abi: hoc ſcito tamèn,
Tuis amica pergis,at demens tibi.

Carmen Choricum ex varijs metri generibus
ac eiſdem,quibus vtitur Sophocles.

Chorus P Hœbi ô radie, Septifores 100
Candidum præ vt antea.

Hic, Thebani ſenes, occiſis iam pridem ſuis hoſtibus, canunt Epinicion.

Thebas reſpiciens iubar:
O aurata tandèm emicas
Claritas diei,
Dircæos ſuper 105

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Fluuios profecta
Ex Argo,panoplia
De Adraſto loquitur. Quæ virum indutum argentea
Profugum fugitiuum celeri
Commouit itinere, 110
Quem deducens hùc Polynices
Certamine flagrans alterno
In terram velut aquila clangens
Conuolat iſtam,
Vndiqùe niuea præditus ala, 115
Multis cum armis,
Atqùe armato cum equitatu.
Stans in introitu cruen-
tatis ſeptifores Thebas
Haſtis vndiqùe glutiens, 120
Receſsit, cruore priuſ-
quàm gulam tepido
Expleuiſſet,
Superbaſqùe turres
Lamberet Vulcanus edax. 125
Talis inuaſit fugatos
Martis ſtrepitus anguigenis
Mœſtus nobis triumphus.
, , Grandia linguæ verba ſuperbæ
, , Iubiter odit. Quos cum incurſu 130
, , Valido aſpexerit impendentes
, , Nitidi ſtridore auri elatos,
, , Torto fulmine ſternit, in ipſa
, , Fronte tumentem
, , Orſos agitare triumphum. 135
Contraq; corpore ſtrauit humum cadente
Feruidus, indomito qui tùnc furore
Correptus diem êgit.
Malis ictus vulneribus
Vndiq; inuic- 140
tus in omnes, et vbiquè
Ruit, irrumpit atrox Mars,
Gladio fœlix truculento.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Septemq; duces ſeptem ad portas
Pari congreſsi Marte, tonanti. 145
Arma hoſtilia liquêre Ioui.
Atqùi horribiles, fratreſq; ſatu
Æditi eodem, mutuò iniqua
Tela vibrantes, victi vtrique
Communia fata ſubibant. 150
Attamèn inclyta palma tumens Trophæis
Ad celebres redijt lætata Thebas.
Sed bella ex animo
Nùnc permittite effluere:
Deûmq; delubra cœtu decenti 155
Adeamus; Bromioq;
Domino Thebarum regente.

Chorus aduentare videt Creontem.

Verùm (en) noſtræ rector patriæ
Creon ſtirps Menæcei, recenti
Diuùm ſolio tumidus, hùc ſe 160
Confert, aliquid mente volutans?
Namq; Senatum paſsim auguſtum
Iàm communi
Miſſo præcone vocauit.

ACTVS SECVNDVS.

Iambicum Trimetrum.

Creon

R Empublicam (viri) proteruis fluctibus
Quaſſam diù erexere rurſùm Cœlites.

Captat Senatus beneuolentiam.

Per nuncios vos ego ſeorſum ex omnibus
Iuſsi aduocari, Laij quòd regia
Semper reueritos ſceptra cognoui ſatis. 5
Tum quando regnum poſsidebat Oedipus,
Cùmq; perijt, matura noui audacibus
Conſilia fortitèr dediſſe liberis.
Illi ergò poſtquam duplici fratres ſimùl
Cecidere fato,ſcelere communi, vice 10
Plagis & inflictis & acceptis pari;
Ius omne regni cedit & ſolium mihi,
Quòd interemptis genere proximus fui.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Magiſtratus , , virum indicat , ,

Aegrè fit, vt cuiuſque calleas viri
Sententiam,ſenſumq́; & ingenium priùs, 15
, , Quàm legibus præfectus imperium gerat.
, , Quicunquè clauum ſolus imperij tenens
, , Conſilia non eſt executus optima,
, , Sed propriam timore linguam comprimit,
, , Is nunc & olìm viſus eſt mihi peſsimus. 20
, , Qui pluris hominem putat amicum patria,
, , Quæ ſuſtulit, eundem eſſe nequam cenſeo.
Ergo ego (videntem cnncta conteſtor Iouem)
Nec ciuium imminere fortunis malum
Cernens, loco ſalutis vnquam contegam: 25
Nec quenquam amicum, dum ſit hoſtis patriæ,
Mihi putabo: hoc præuidens, illam eſſe,quæ
Seruat beatos, quæ benignis flatibus
Si exurgat, vndiq́; erit amicorum ſatìs.
Talibus ego hanc dabo locupletem legibus. 30
Germana iàm his, quæ ſum profatus, ciuibus
Ambobus edixi Oedipi de liberis ;
Primùm Eteoclen (qui pro vrbe propugnans nece eſt
Extinct us indigna,optimè haſta ſe gerens)

** Solebant enim arma & inſtrumenta , canes & equi, veſteſque cũ mortuis cremari, aut ſepeliri.*

Mandent ſepulchro, * cunctaq́ue ſimul occulant, 35
Quæ fortium celebres ſepulturas decent.
At alterum, fratrem aio,Polynicen, ſolum
Qui patrium, & Deos Penates impius,
Exul reuentans, igne partìm ſtirpitùs
Vaſtare voluit, ſanguinem horum ſugere, 40
Alios malignam in ſeruitutem tradere ;
Illum, volo edictum omnibus, nè quiſpiam
Condat ſepulcro, neué proiectum fleat:
Sed vulturum roſtris, canumq́; rictibus
Lacerum inſepultum corpus exedi ſinat. 45
Sìc ſtatuo. Nunquam ex me mali (dum ſuppetit
Hæc vita) præripient bonorum gloriam.
At patriæ qui fidus eſt, ſiuè occidat,
Seù viuat, hunc ego pari honore proſequor.

Chorus Adulatorium,& quod placeat Tyrannum.

Tibi hæc placent ô ſtirps Menæcei Creon, 50
Hunc nuncupari hoſtem, illum amicum patriæ.

<C3*v*> Quæcunq́;

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Quæcunq; promulgare iam fas eſt tibi
De mortuis,nobiſq;,qui in vita ſumus.
Creon Horum ergò vos, qnæ dico, cuſtodes creo.
Chorus Iuuenibus h oc impone neruoſis onus. 55
Creon Promptos tamèn, qui mortuum aſſeruent, ſcio.
Chorus Cur alteri vt fiat iubes hoc ampliùs?
Creon Nè ad iuſſa repudianda conſpirent ſimùl.
Chorus Quis quæſo ità eſt delirus, vt cupiat mori?
Creon , , Merces profecto erit illa. Spe fretis vaga 60
, Sed ſæpè lucrum hominibus exitio fuit.
Nuncius Rex ; non profabor, quomodó hùc præceps feror
Præcurſu anhelans,concitum attollens pedem.
Nam cura multas peperit attonita moras,
Quæ me reuerti dum ambulabam compulit: 65
Mens oblocuta multa ſugeſsit ; Miſer,
Quò pergis? aut cui ſupplicia properas dare ?
Rurſùm: manebis ? hæc Creonti nuncius
Monſtrabit alter? hoc tum inultum quî feret?
Vix lentus iſtæc diſputans triui viam: 70
Sic longafit,quæ breuis erat ſpatio via.
Tandèm illa uictrix truſit hùc ſententia.
Quod proferam, etsì triſte ſit, dicam tamen:
Spes me profectò certa venientem tenet,
Aliud nihil, niſi quod feret fatum, pati. 75
Creon Quid eſt? refer: cur mæſtus animum contrahis?
Nuncius De me priùs dictum volo. Nunquam malum hoc
Feci ipſe, nèc quis facinus admiſit ſcio:
Nec in aliquod iuſtè & volens ruam ſcelus.
Creon Pulcrè autumas, & rem vndiq; obſeptam obſtruis: 80
Nouum quasì aliquid indicaturus venis.
Nuncius , , Timidum nimìs pigrumq; , quod graue eſt,facit-
Creon Dicturus, an non? vt abeas pòſt ocyùs.
Nuncius Dicam profectò. Nupèr aliquis mortuum
Abiens humauit,& rigentem puluere 85
Cutem abdidit, quæcunq; oportuit, expians.
Creon Quid faris? hæc tandem quis auſus eſt homo?
Nuncius Ignoro prorſùs: Nec ſecuris vſquam erat
Inflicta, nec viſa eſt ligonis ruptio ;

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Præfracta humus ſolidaq́; nec trita eſt rotis. 90
Quiſquis patrauit, clanculum ſcelus ædidit.
Primùm vt diurnus crimen excubitor palàm
Explicuit, omnes gelidus inuaſit ſtupor.
Non vndiq́; tegitur nec obruitur ſolo
Quaſi factum abhorrens puluere obduxit leui: 95
Nec beſtiæ vſquam, nec canis veſtigium
Graſſa^{n}tis, auido & dente laniantis fuit.
Statìm inuicèm ſunt concitata iurgia,
Cuſtoſq́; cuſtodem increpat: tandem ad manus
ventum eſt: eos qui dirimeret, nemo adfuit. 100
Certè vnus erat, haùd quiſq́; conflauit ſcelus:
Nemo euidens, ſe omnes negabant conſcios,
* *Hoc olim faciebant Ethnici & Chriſtiani ad probandum innocentiam.* * Manibus parati ignita ferra ſumere,
Iurareq́; inuicèm face arrepta Deos,
Se nèc patraſſe, nec cuiquam facinus hoc 105
Vel conſulenti, vel patranti conſcios.
At illa rem ſcrutantibus nil proderant.
Effatur vnus, qui metu affectos caput
Demittere omnes in ſolum fecit: cui
Nèc opere, nèc ſermone tùm licuit benè 110
Ire obuiam: hæc profatus, vt palam tibi
Factum omne facerent, ſitq́; ſuppreſſum nihil.
**Ironice* Hic ſermo vicit ; Meq́; ter miſerum *bonum
Hoc (ſcilicèt) ſors ferre iniqua compulit.
Inuitus adſum ; quod ſcio,inuitis quoq́; . 115
, , Verborum amat nemo malorum nuncium.
Chorus. Rex ; prouida nùm cœlitum cura hoc opus
Sit perpetratum, mente verſabam diù.
Creon. Tace, priuſquam fando me rabie expleas.
Nè vtrunq́; te & ſtultum & ſenem prodas ſimùl. 120
Nulli ferenda dicis, affirmans Deos
Hunc mortuum cura iuuare prouida.
Nùm Dij colentes quaſi parentem patriæ
Hunc condiderunt, templa qui ſublimia
Incendio vaſtare, Diuûm qui ſolum, & 125
Monumenta, qui etiàm iura vênit perdere?
, , Malis honorem facere vidiſti Deos?

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Nunquam fit. immò ægrè ferentes iam diú
Ciues, leui hæc mihi innuebant murmure,
Clàm capita quaſſantes: meo nèc hactenùs 130
Iugo ſubacti colla, me æquo animo vt ferant.
Ab his probè muneribus adductos ſcio,
Vt clanculùm hoc immane patrarent ſcelus.
,, Mortalibus nil maius argento malum
Pecuniæ ſtudium ad omne flagitium impellit. ,, Succreuit vnquam: hoc ciuitates maximas 135
,, Populatur ; hoc viros domo exturbat ſua ;
,, Hoc prorſùs hominum ingenia tranſformat bona ;
,, Turpiſsima ad flagitia proſterni docet ;
,, Hoc monſtrat aſtutis abuti fraudibus,
,, Cunctiſq; quantum in rebus impietas valet. 140
Quicunq; quæſtu obiêre permoti hoc nefas,
Pænas viciſsìm debitas tandèm dabunt,
Si Iuppiter,noſterq; quid poſsit thronus.
Rectè iſtud animaduerte, (iuratus loquor:)
Niſi proprium illis ſepulturæ opificem 145
Iàm deprehenſum detis ante oculos mihi,
Non vos priùs recipiet Inferni Chaos,
Quàm penſiles monſtretis hanc iniuriam:
Lucrum vt ſcientes vndè ſumendum ſiet,
In poſterum faciatis ; hocq; diſcite, 150
,, Omni loco non eſt lucrum amplecti vtile,
,, Nam ſæpè quœſtu ex ſordido multó magìs
,, Lædi videbis,quàm beari plurimos.
Nuncius Aliudnè quod dicam, an reuerti sìc iubes?
Creon Neſciſnè nùnc quàm fando mihi bilem excites? 155
Nuncius Aureſnè ſolum, an anima mordetur tibi?
Creon Quidnam (malum) quæris, meus vbi ſit dolor?
Nuncius Qui fecit, animam pungit, aures tantùm ego.
Creon Hei mihi ; quàm apertè lingua verboſa obſtrepit?
Nuncius Huius profectò author operis nunquam extiti. 160
Creon Certè vel animam efflare ſpe argenti ſtudes.
Nuncius ,, Heù ; quàm eſt eſſe ſuſpectum graue, & falſò quidèm?
Creon Iocare ſuſpicione nùnc: Sed nisì reos
Monſtrabitis mihi, ſcietis quomodò
,, Auida dolores lucra gemebundos creant. 165

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Nuncius Vt maximè agnoſci cupio : At vtrumnè ſit
Deprenſus, an non ; illa fortunæ alea eſt ;
Nòn me mouentem poſteà hùc cernes gradum.
At nùnc quidèm ſeruatus extra ſpem, & meam
Sententiam, habebo debitam Dijs gratiam. 170

Carmen Chori variè mixtum, & eiuſdem generis cum Græco.

Chorus M Vlta diſerta : nil tamèn
Homine extat ſapientius.
Audaciam hominum, induſtriamq; ac prudentiam a multis rebus laudat.
* Ille trans reflui maris
Vndas, flante humido Noto,
Verrit valido truces re- 175
morum impetu fluctus :
** A nauigatione*
* Deûmq; nobiliſsimam terram
** Ab agriculturа.*
Aſsiduam, ſolidam,
Subigit, terit vomere vulnifico,
Equorum genere auda- 180
ci colens quotannis.
* Pennigeras quoq; alitum
** Ab aucupio, & venatione.*
Turmas illaqueans capit,
Agreſtem & pecudum gregem;
** Piſcatione.* * Ponti & maritimum genus 185
Solers homo ſinuoſis
Laqueorum orbibus.
** A cicuratione belluarum.* Et * belluas technis frementes
Montiuagas ſuperat ;
Et equum ſuperat iuba ſuperbum im- 190
poſito iugo, & agreſ-
tem taurum ferocem.
** A variis linguis & ſcientiis.* * Sermonem homo, atq; variam
Prudentiam, tum ciuium
** Ab ædificationibus.* Motus docuit ; * Glaciale frigus, 195
Penetrabileq;
Vitare fulmen Iouis. Cuncta poteſt;
,, Ineptus aggreditur nihil.
,, Mortis rigida pellere

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

, , Fata neſcit impotens. 200

** A medicina.* * Morbis tamèn teterrimis
Scit mederi.

** Ab artium in-inuentione.* * Acumine præditus, artes
Quod parit egregias
Nùnc ſe ad mala, nunc bona fert viciſsìm. 205
, , Ciuis bonus, patriæ
, , Colenſq; Diuùm ſacram iuſticiam.
, , Improbus,honeſtas cui deeſt,
, , Scelus malum qui foùet.
Nec mihi domeſticus 210
Fiat, nec vnquam congruat
Iſta patrans.

Hic Chorus videt attrahi Antigonẽ deprehenſam apud cadauer Polyni–cis. * Mens ob monſtrum hoc ſtupet horribile :
Quomodò cernens contradicam,
Non Antigonem hanc eſſe puellam? 210
O infœlix infœlicis
Gnata Oedipodis. quid iam? numquid
Publica regni
Iura adducunt te violantem, &
Facinus conſcire repertam? 220

Carmen Iambicum Trimetrum.

Nuncius H æc ipſa facti eſt improbi effectrix ; humo
Hanc deprehendimus tegentem: at vbì Creon?
Chorus En commodè ædibus relictis aduenit.
Creon Quid fit? quem habet moderata proceſſum æquitas?
Nuncius , , Mortalibus, Rex, temerè iurandum eſt nihil: 225
, , Sperata ſæpè fallit euentus ſequens.
Nam ægrè gradum hùc adferre nolentem tuli,
Minas pauens, quæ vt turbo iactabant priùs.
Sed gaudium, quo iàm repentè perfruor,
Longè alia quæuis mole tranſcendit ſua. 230
Venio libentèr, (contra iuratus tamèn),
Prius enim fortiebantur, quis nunciaret creonti, cadauer Polynicis effehumatum. Ducta hac ſepulcri virgine ornandi rea.
Non hùc venire * ſorte propellor data,
Verùm hoc mihi non alteri lucrum puto.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Nunc ipſe, Rex, hanc pro arbitratu iudica, 235
Et quęſtionem habeto: liber omni ego
Sum crimine, hiſq; dignus exolui malis,
Creon Cur ducis iſtanc? vndè & arreptam, expedi ?
Nuncius Ipſa hæc virum tumulo dedit, ſcis omnia.
Creon Certuſnè, quodq; nuncias compertum habes? 240
Nuncius His orbibus conſpexi humantem mortuum,
Quem tu vetabas: num rata & certa eloquor?
Creon Quînam videtur, quouè deprenſa eſt modo?
Nuncius Sìc geſta res eſt. Vt profecti omnes ſumus,
Terrore, turbidiſq; vexati minis, 245
Omnem amouentes puluerem,quo mortuus
Obtenditur, putremq; nudantes cutem,
Ventis procùl, opacis ſedemus vallibus,
(Nè fætor inuitis noceret peſtifer)
Vigiles : amaris quiſq; pungebat alium 250
Opprobrijs, ſi quis labori parceret.
Hæc tracta ſunt eouſq;,donèc æthere
Medio coruſcum conſtitit Phæbi iubar,
Feruorq; tepefactos fouebat: Tum ſtatìm
Tellure turbo fulmen oneroſum eleuans 255
Campum replet, denſamq; tremefacit comam
Syluæ ſonantis, ætheraq; vaſtum occupat:
Nos aeris tulimus latentes impetum:
Pòſt, temporis ceſſante ſpacio turbine,
Viſa eſt puella, tinnulam quæ vocem auis 260
Mœrentis ædidit, velùt quandò vacuum
Fœtu cubile triſtis abrepto videt ;
Sic mortuum poſtquam illa nudatum aſpicit,
Lamenta gemitu fundit educto, malis
Tum deuouet factum patrantes cladibus : 265
Pòſt, fert manu bibulum tenella puluerem ;
Ex tinnulo fabri ſimùl gutturnio
Tria mortuo ornando obtulit libamina.
Nos quæq; cernentes adibamus. ſtatìm
Hanc prendimus facinore ſtupefactam nihil. 270
Priora, quæq; nunc geruntur quærimus.
Omnia palam confeſſa nil quicquam abnegat.

<D2*v*> Mihi

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Mihi & voluptati & dolori res fuit :
Meipſum profectò grauibus elabi malis,
Dulciſsimum: in luctus amicos ducere, 275
Valdè eſt moleſtum: tamen amicis, quamlibèt
Charis,ego propriam ſalutem præfero.

Creon Te, te volo, caput quæ in ſolum deflexum habes:
Aiſnè te factum hoc patraſſe,an abnuis?

Antigone Conſtantèr aio, nèc illud inficias eo. 280

Nuncium allo-quitur. *Creon.* * Tu libero ſecurus exîto pede
Quoquò velis graui abſolutus crimine.

Iterum affatur Antigonem * Tu abſcinde prorſùs ambitus, ſtrictìm refer,
Prædicta moliri, eſſe nouiſti nefas?

Antigone Noui: quid impediret? obſcurum nihil. 285

Creon Atq; etiàm eas es auſa leges tranſgredi?

Antigone Eas bonus nunquam rogauit Iuppiter,
Nec inferûm iuſtitia Diuorum comes ;
Qui iura ferre ſemper hominibus ſolent.

, , Nec tantum ego tua habuiſſe rebar ponderis 290

, , Ædicta, vt illa cordibus, cùm ſis homo,

, , Natura quæ ſculpſit, refigere valeas.
Non dudum & hodiè iura diuorum vigent,
Sed ſemper horum incognita eſt æternitas:
Quæ dum violo viri tyrannidem timens, 295
Dijs nolo ſana criminis pænas dare.
Agnoſco morituram eſſe ,quid nì ? etſi nihil
Præfatus eſſes. rupta vitæ ſtamina
Si Fata citiùs amputent, lucrum puto.

, , Quiſquis miſerijs, vt ego, multis obrutus 300

, , Ætatem agit,quî non erit mori lucrum?
Sìc iam mihi moleſta fata abrumpere
Nullus dolor. Et vna ex parente mortuum
Fratrem feris ſi proijci inhumatum ſinam,
Illis dolorem, his gaudium incuterem leue. 305
Si ſtulta nunc commiſiſſe videor tibi,
Stultitiæ apud ſtultum ferè inſimulor rea.

Chorus Mens arguit parente crudeli ſatum
Crudeli germen: cædere ignorat malis.

Creon , , Præfracta nimium mens labat facillimè. 310

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Contra pertinatiam

, , Ferrum rigens & forte, quantumuis tenax,
, , Coctum ſemèl lambente vulcano vndiq́; ,
, , Fractum videre ſæpè & abruptum licet.
, , Fræno puſillo Martios cognoui equos
, , Quôcunq́; flecti. Neminem efferri nimìs 315
, , Decet, ſuo qui ſeruus arbitrio caret.
Hæc tum ſceleribus cæpit eſſe nobilis,
Leges ſuperba quandò protriuit bonas.
Poſt illud atrox facinus hoc eſt proximum,
Quòd ſe patraſſe oſtentat, & triumphum agit. 320
Sim vir ego nunquam poſtea, vir illa ſit,
Imperia ſic temerata ſi impunè hæc ferat:
Si vel ſorore nata ſit, vel ſanguine
Coniunctiore, ſi vel Hercæo Ioue.

** I ſmenem quoq́;, ex ſola qnamuis ſuſpicione ,ad mortem condemnat.*

Nèc illa, nèc * ſoror horridam effugient necem: 325
Ipſam quoq́; ream capitis arceſſam ſimùl,
Conſilia quòd cum iſtac humante contulit.
Ergò euocate: nam intùs aſpexi modò
Rabie furentem concita, & animi impotem.
, , Mens ante opus furtiua deprendi ſolet 330
, , Horum, ſcelus qui machinantur clanculum.
, , Odioſus quando in malis quis prenditur,
, , Factum tamen iactare geſtit impudens.

Antigone Maiuſnè quid vis, quàm neci captam dare?

Chorus Nihil quidem: iſtud obtinens,habeo omnia. 335

Antigone Quid fando producis moram? vt mihi tuus
Nec ſermo nunc placet,aut placebit poſteà,
Sic contrà tibi noſter viciſsìm diſplicet.
Atquì vnde celebre nomen illuſtrem magìs,
Quàm quòd ſepulcro grata germanum dedi ? 340
Ab his probari hoc ſingulis certò ſcio,
Si non tacitus aſtringeret linguam metus.

** Ironice hoc dicit.*

Multis * beata alijs tyrannis dicitur,
Tum etiam facere, dicereq́; quod libet, licet.

Creon Ex omnibus tu hoc ſola Thebanis vides? 345

Antigone Vident & hij ; ſed os tibi omnes ſublinunt.

Creon Non te pudet, diuerſa quod ab his ſentias?

Antigone Nihil pudet colere miſerijs obrutos.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Creon Nonnè hoſtis vrbi frater e vita exijt?
Antigone Ex patre eodem frater & matre æditus. 350
Creon Quînam viro præſtas honores impio ?
Antigone Longè aliud exanimum cadauer indicat.
Creon Si illum colas, par cum impio in crimen venis.
Antigone Frater ſupremum obiuit haud ſeruus diem.
Creon Vaſtauit hic patriam, ille pro patria ſtetit. 355
i. vt omnes mortui ſepeliantur. *Anti.* Leges tamen rex Inferûm * æquales cupit.
Creon , , Non ſors bonum malumq́; conſimilis manet.
Anti. Quis quæſo nouit, an Inferi hæc ſacra æſtimant ?
Creon Nec hoſtis hic, nec amicus ille vnquam fuit.
Antigone Ambos amare, odiſſe non ſoleo ſimul. 360
Creon Ad inferos profecta, ſi velis, ama:
Non mulier hìc imperia me viuo geres.

Anapeſtici.

Chorus A T pro foribus * ecce Iſmene
Chorus videt Iſmenem lacrimoſo vultu prodeuntem Madidas fundit lachrimas chara ſoror:
Nebula quæ cilia premit, vultum 365
Fœdat roſeum,
Spargitq́; genam imbre decentem,
Creon * Tu me domi latens, tumens quaſi vipera
** Erumpit in conuicia , contra Iſmenem.* Clam exorbuiſti: aluiſſe me haùd noui duas
Tum cladium, tum luctuum authores mihi. 370
Exprome: tunè huius parandi conſciam
Te ais ſepulcri, an inſciam te eſſe aſſeris?
Iſmene Opus ego confeci, * illa ſi conſentiat ,
i. Antigone Tum criminis culpæq́; particeps ero.
Antigone Hoc æqua te iuſticia prohibebit. * Mihi 375
** Falſo hoc dicit pro ſalute ſororis* Nec conſulebas, nec ego tecum contuli.
Iſmene. Non me tuis refrænat in malis pudor,
Quìn me fidelem miſeriæ ſociam dabo.
Antigone Facti reos Orcusq́; Mâneſq́; inferi
, , Norunt ; amicam non amo lingua tenus. 380
Iſmene Nè dedecus tantum imprimas, vt non ſoror
Occumbam, & vna mortuum tecum expiem.
Antigone Nè (quæſo)vitam amitte, nec facias tua,

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Aliena quæ ſunt : fata ſufficient mea.

Iſmene. Quæ vita dulcis eſſe te abrepta poteſt ? 385

Antigone Creontem ama : illum ſerua dominantem cole.

Iſmene. Quid pectus angis triſte, nec quicquam iuuas ?

Antigone Meritò dolere cogerem riſus mouens.

Iſmene. Quìd ſi tibi hìnc ego aliquod auxiliam feram ?

Antigone Tibi prouide : non mortis inuideo fugam. 390

Iſmene. Heu : non vtraſq; fati idem abripiet genus ?

Antigone Tu vitam adoptaſti; mori eſt votum mihi.

Iſmene. Prædictus aliud ſermo teſtatur meus.

Antigone His tu ſapere videris, & alijs ego.

Iſmene. Eadem tamen nos culpa iam ſontes premit. 395

Antigone Tu viue fœlix : Anima iampridèm mea eſt

Extincta, dum pia mortuis opem tuli.

Creon. Ex his puellam hanc mente iam captam arbitror,

At alteram, ex quo lucis vſura eſt data.

Iſmene. , , Non ſemper, ô Rex, animus, etiamsì integer, 400

, , Miſeris manet, ſed ſæpè dimotus loco eſt.

Creon. Tibi, quòd patrare cum mala audebas malum.

Iſmene. Quid mihi ſine hac vitam iuuabit degere ?

Creon. Non hæc profatur tibi, ſupremum agens diem.

Iſmene. Tui ferox ſponſam necabis filij ? 405

Creon. Multæ & aliorum nubiles ſunt filiæ.

Iſmene. At nulla vt hæc gnato locatur nuptui.

Creon. Gnatis mulieres improbas ego abhorreo.

Antigone O optime Hæmon, vt probra obiectat pater ?

Creon. Et te, & maritum nimius abſorbet dolor. 410

Iſmene. Num filium hac vxore priuabis tuum ?

Creon. Mors inchoatas dirimet vltrix nuptias.

Iſmene. Ergò ratum eſt, quod video, decretum mori.

Creon. Et tibi quidem & mihi. rumpe iam ſegnes moras.

Quìn fertis intrò turba famularis ream. 415

Poſthæc mulieres ſaxeo abdantur ſpecu.

, , Petunt ſalutem ſemper audaces fuga,

, , Quandò vident inſtare vitæ terminum.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Carmen Choricum, ac variè mixtum.

Chorus. , , C Vi vita malis vacua eſt, fælix putandus :
, , Sed quibus quaſſa eſt domus inclyta, cladis 420
, , Nil relictum eſt. in generis
, , Sobolem redundat ;
, , Maris perindè vt naufragi tumor,
, , Quandò Thracijs & in-
, , ſanis nox madida irruit in 425
, , Profundum flatibus,
, , Arenam funditùs reuoluit
, , Mobilem & littoream,
, , Freto cauæ gemunt petræ frementes.
Cerno mala Labdacidum domus ruentis 430
Sempèr grauioribus accumulari:
Nec priores poſteritas
Iuuat. Immò Diui
Vaſtant, nec vllus finis eſt.
Lux iam in vltima manet 435
Propagine generis ex Oedipi domo:
Quam poſthàc rapiet cruentus
Inferorum aculeus,
Oriſq́; furor, mentiumq́; Erinnys.
, , Iouis vim violentia quis 440
, , Virûm cohibere poſsit?
, , Quam nèc ſomnus vnquam retinet quietus,
, , Nec nobilis incito
, , Hora gradu, at perpetuò potens eſt,
, , Moderans Olympi 445
, , Cæruleum nitorem.
, , Quod adeſt, quod & futurum eſt,
, , Et fuit, cedit Ioui.
, , Nemini omnem per vrbem
, , Viuo accidit hæc lex, 450
, , Vacuum eſſe clade.
, , Iuuamen variabilis ſpes
, , Afferre ſolet quibuſdam ;
, , Multis quoq́; fraudat cupidos amores.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

, , Anteà nil ſagaci 455
, , Eueniet, quam igne pedem comburat.
Sapientis illud
Nobile carmen extat ;
, , Speciem boni malum offert,
, , Reipſa tamen eſt malum. 460
, , Mala Deus cui affert,
, , Deget minimo tem-
, , pore clade liber.

** venit Hæmon, & cum patre ſuo diſputat de morte Antigones.*

* Attamèn Hæmon vltima ſobolis
Propago tuæ, valdè afflictus 465
Miſera ſponſæ ſoi te futuræ,
Factum Antigones, viduumq́; torum
Venit ægro angore gemiſcens.

ACTVS TERTIVS.

Iambici Trimetri

Creon B Reui, ſciemus vate quouis certiùs
O gnate, nùm decreta cernens coniugi
Propoſita morituræ in patrem offenſus venis ;
An nos opus quodcunq́; fabricantes amas.
Hæmon Pater, tuus ſum; tu inclyto ſapientiæ 5
Splendore pollens me regis ; quem ego ſequar.
Ego nullius tanti æſtimo vxoris torum,
Quàm regia vt tu ſceptra venerandus geras.
Creon , , Sìc, fili, honeſtum mente complecti decet,
, , Vt nil voluntati paternæ præferas. 10
Idcircò liberos viri exoptant domi
Creareq́;, & parêre ſuſceptos ſibi,
Vt vindices ab hoſte pænas expetant,
Officio amicum cum patre obſeruent pari.
, , Quicunq́; ſobolem ſibi ſceleſtam procreat, 15
, , Numquid aliud quàm pectore ærumnas parit
, , Suo aſperas, riſus proteruos hoſtibus?
Nè gnate mentem ex ſede dimoueas ſua
Correptam amoris feruida inſani face.
, , Quamuis voluptas, felle commiſta eſt tamen 20

 , , Tori

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

, , Tori mala mulier iugalis particeps.
, , Vlcus malo nullum eſt amico tetrius.
Sed impiam hanc ſanus puellam reſpue:
Stygio ſine alicui traditam Orco nubere.
Nàm iura regni comperi hanc ipſam palàm 25
Ex omnibus ſoluiſſe ſolam ciuibus.
Nunquam ore me præſtabo mendacem leui,
Verùm necabo ; celebret intereà Iouem
Fratrem ; ſceleſtos ſi ſerat vel Iuppiter,
Sortis ego potiùs infimæ natos alam. 30
, , Mihi qui ſacra priuatus eſt iunctus fide,
, , Rei quoq́; apparet fidelis publicæ.
, , Quicunq́; rectum iuris illidit ſtatum,
, , Quiq́; impudens iuſtis reſiſtit faſcibus,
, , Non laudis a me gloriam celebrem feret. 35

Tyranni vox. , , Quem ciuitas præfecit, hunc ſequi decet,
, , Si leuia, ſiuè iuſta, vel ſecùs imperet.
, , Tali probè geſtam a viro rempublicam,
, , Poſſeq́; benè parêre mandato, reor.
, , Cùmq́; grauis auidi Martis increpuit fremor, 40
, , Talis potens & fortis adiutor manet.

Contra inobedient-tiam. , , Nullum rebellione maius eſt malum :
, , Hæc integras labefactat vrbes ; hæc domos
, ,Deuaſtat ; hæcq́; Marte medio abrumpere

Obedientia. , , Pugnam fuga facit. Tamen obedentia 45
, , Viris ſalutem ſubditis multam parit.
, , Ità principes hæc maxima obſeruent fide,
, , Nec mobilem expugnare mulierem ſinant.
, , Si ſit neceſſe, ſtrenuo præſtat viro,
Quàm vt muliĕri dediſſe dicamur manus. 50

Chorus Ni fallat actæ flexus ætatis, probè
Recteq́; ,quæ dicis, vidêris dicere.

Hæmon , , Pater, homines mente imbuerunt numina,
, , Rerum omnium quæ principatum ſolum habet.
Ego quomodo hæc non dicta ſunt rectè, neq́; 55
Adhuc ſcio, neq́; proloqui iam ſum potis:
Alterius ore potuit efferri benè:
In rem tuam reputare cuncta me decet,

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Quæ quiſq; fatur, quæ agit, & arguere poteſt.
, , Populo loquaci regis aſpectus grauis, 60
, , Dum fatur ea, quæ te audientem mordeant
Audire cuncta clanculùm licet mihi,
Vt tota mœret hanc puellam ciuitas,
Quòd omnium illa muliĕrum indigniſsima,
Celeberrimi mortem oppetit facti rea : 65
Quæ vna ex parente ſtrage germanum impia
Cœſum, inſepultum, nec canum crudelium
Morſu perire, nec ſinet aues paſcere.
Non potiùs amplum eſt digna münus conſequi ?
Obſcura tacitè hæc fama manat vndiq; . 70
Tuæ, pater, ſi proſpero ſint res ſtatu,
Mihi nil poteſt accidere precioſum magis.
, , Quis gloriæ, florente patre, ſplendor eſt
, , Proli amplior ? vel prole quis patri bona ?

Contra φιλαυτίαν, Nè moris huius pertinax ſis, vt, niſi 75
Quod tu facis, rectè nihil factum putes.
** Solonis dictŭeſt γηράσκω δι' ἀεὶ πολλὰ διδ ασκόμενος.* , , Quicunq; ſeſe aut ſapere ſolos venditant,
, , Aut mente, lingua aut præditos præ cæteris ,
, , Hoc ſi explices, prodent ineptos ſe & leues.
, , * Sed diſcere virum multa ſapientem, neq; 80
, , Nimium eſſe præfractum, probro non ducitur.
" Duobus ſimilitudinibus elegan-ter probat, ce dendum eſſe. " Dum flumen imbribus auctum hybernis defluit,
Arbor decora flexilis ſurgit coma,
At quæ reluctat ſtrata ſtirpitùs iacet:
Sìc nauta nil velum relaxans, ſed nimìs 85
Pleni ſtrepentem carbaſi extendens pedem,
Tranſtris rate euerſa ſupinis nauigat.
Compeſce cæcas mentis iratæ faces.
Sapientiæ ſi pectore inſedit meo
Vis aliqua iuuenili, optimum eſſe hoc autumo, 90
, , Virum artium in lucem peritum ſuſcipi
, , Sìn hoc nequit (nèc sìc ſolet id obtingere)
, , Etiam a diſertis valdè honeſtum eſt diſcere.

Chorus Rex, ſi probè hic dicat, decet te diſcere ;
** Hæmonem alloquitur.* * Teq; a parente : vtrinq; iam dictum eſt benè. 95
Creon. Nos etiam id ætatis ſapere docebimur

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Ab homine, cui vix barba decorauit genas ?
Hæmon Non eſt iniquum, ætate quamuìs ſim rudi.
, , Facta potiùs reputare , quàm tempus, decet.
Creon Quod factum, honoribus ſceleſtos proſequi? 100
Hæmon Non grata iubeo officia præſtare impijs.
Creon An non eodem iam illa deprenſa eſt malo?
Hæmon Non gentis iſtud turba Thebanæ aſſerit.
Creon Num ciuitas ſtatuenda præſcribet mihi ?
Hæmon Hoccinè vides vt dixeras iuuenis nimìs ? 105
Creon Par alterum imperare, non me patriæ ?
Hæmon , , Ea ciuitas non eſt, viri quæ vnius eſt.
Creon Nonnè imperatoris putanda eſt ciuitas ?
Hæmon Terra imperares ſolus inculta probè .
Creon Muliĕris inſanus ſtupor pugnam hanc facit. 110
Hæmon Si tu ipſe mulier: cura me mordet tui.
Creon Cum patre natus ibis in ius peſsime ?
Hæmon Crudele ſæuus crimen admittis palàm.
Creon Crimen putas decreta tutari mea ?
Hæmon Minimè tueris, ſacra conculcans Deûm . 115
Creon O indolem impuram, & muliĕri ſubditam.
Hæmon Me a rebus haud cernes ſubactum turpibus.
Creon Hunc coniugis pactæ ergô ſermonem facis.
Hæmon Immò tui, meiq́; cauſa, & inferûm.
Creon Nunquàm hæc tibi nubet ſuperſtes poſteà. 120
Hæmon Ergò occidat, certé opprimet aliquem cadens.
** Creon de ſe dictum putat, dum tamen Hæmon ſe metipſum intelligis.*
Creon. * Num ſic minatus dira cinfidens venis ?
Hæmon. Quænam minæ, mentes inanes alloqui ?
Creon. Plorans ſcies, mens cum tibi ſit impotens.
Hæmon. Nî eſſes pater, te ſapere dixiſſem malè. 125
Creon. Nè me muliĕris verna dictis impetas.
Hæmon. Quiduis loqui, atq́; audire nil contra velis ?
Creon. Rectè : atqui (Olympum iuro) lætus aſpera
Nunquàm in meum conuitia iactabis caput.
Educite illud odium, vt ante oculos ſtatìm 130
Propter maritum debitum fatum ferat.
Hæmon Non ante me, iſtud ſemper vt certum tene.
Neq́; hanc dabis me propter exitio, neq́;
Vultum iutuens luſtrabis aſpectu meum :

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Vt hîc cum amicis remaneas, qui de volunt. 135

Chorus Diſceſsit, ô Rex, bile acerba concitus.
, , Talis quidem mens, ſi doleat, eſt impotens.

Creon. Faciat, ſapiat, exuperet humanum modum,
Nunquam has puellas horrida eripiet nece.

Chorus Vtramq́; nè trucidare confeſtìm ſtudes ? 140

Creon. Non * alteram, quæ non tetigit ; ais probè.

Chor. Quo mortis illam genere tentas cædere ?

Creon. A plebe prorſum inculta quà patet via,
Viuam trahens hinc ſaxeo includam ſpecu,
Quantum recipiat pugnus, apponens cibi : 145
Vt tota deuitet piamen ciuitas.
Illicq́; ditem, quem Deum ſolum colit,
Precata, rigidæ mortis obtineat fugam.
Aut tùnc breui perſuaſa momento ſciet,
Quòd inferos venerari inanis ſit labor. 150

Ismenen morti prius temere adiudicatam, hic liberat.

Carmen Chori mixtum ex varijs metri generibus.

Chorus , , O Vſq́; inuictiſsime Amor,
, , Amor lues diuitiarum,
, , Qui molliculis roſeiſq́;
, , Genis habitas puellæ;
, , Tranas fretum, quiq́; manes 155
, , Sedibus agrorum :
, , Nec te cœligenarum fugit vllus,
, , Nec quiſquam hominum. Qui habet
, , Te, percitus eſt furore.
, , Tu enim bonorum, vt mali ſint, 160
, , Triſti quatis pectora clade.
, , Et tu quoq́; ad arma fratres
, , Atrocia concitaſti.
, , Vincit micans ex oculis
, , Gratia deſponſæ 165
, , Nymphæ, Principibus ſocia, vel ipſas
, , Leges. Indomita laſ-
, , ciuit Venus Aphrodite.
Nunc iſta videns præter leges

<E3*v*> Fieri,

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Fieri, vexor; nec lachrymarum 170
Vltrà fontem retinere queo,
Dum * communem video * thalamum
Morte Antigonam ſubeuntem.

** Communem thalamum, id eſt mortem*

Antigone Videte ciues patriæ, videte
Iam me iter vltimum in- 175
ſiſtentem, atq; nouiſsimum intu-
entem ſolis iubar,
Pòſt nec vnquam : at omnibus æqualis
Me Herebus viuam rapit
Vsq; Acherontis vndas, nec geniali 180
Iunctam toro ; mihi nec celebrem
Quiſquam Hymenæum
Decantat; imò Acheronti nuptura.

Chorns Nempè vel omni laude ſuperior,
Squallida mortis tecta ſubîto. 185
Nec tabifico morbo extincta,
Nec dum gladio transfoſſa truci,
Sed viuentûm libera ſola,
Forti pete Tartara greſſu.

Chorus eam con ſolatur, ſed argumentis ineffica-cibus.

Antigone Accepi acerbam Nioben periſſe 190
Ex Phrygia, ſatam
Tantalo, ad Sipyli cacnmen.
Quam, vt ambiens hedera,
Domauit marmor rigidum. quam li-
queſcentem imbribus, (vt 195
Fama hominum eſt) cana nix deſerit nunquam;
Colleſq; lachrymis diſtillans
Irrigat. huic iam
Fortuna me ſimilem malè euertit.

Chorus Atqui illa Dea, et prognata Dea : 200
Nos mortales mortaligenæ.
Cum Dijs paribus, licet extinctam,
Mirum auditu eſt, te æquale pati.

Antigone Heu irrideor. Quid, mihi per,
Deos Penates 205
Non magè iacenti illudas quàm ſuperanti?
O patria, ô patriæ

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Viri valdè opulenti :
O Dircœi fontes, &
Thebarum nobilium nemus ; vos 210
Teſtes miſeræ mihi appello,
Ipſis vt ab amicis, quibuſq; legibus,
Infleta, inaudito ſepul-
chro, ſquallido abſtrudor ſpecu.
Heù, infœlix : nec 215
Defuncta, nec ſuperſtes putanda.

Chorus. Nec Inferis, nec cum his qui ſuperſunt
Habitans, nefandum auſaq; ſcelus,
Pœnas luens, ergaſtulum
Cecidiſti in altum filia. 220
Patris quandam ſubis miſeriam.

Antigone Attingis (heù) tabificos
Mihi dolores,
Patris miſeraſq; clades,
Præteritum quas 225
Intulerat fatum
Thebanos apud acres.
Eheù maternum crimen
Lecti, incœſtiq; concubitus
Cum patre miſerrimæ matris : 230
Ex quibus ego ſata ſum, quondam beata;
Ad quos acerba hoſpes iàm eo
Innupta & execrabilis.
Heù frater, infœlices
Adeptus thalamos, mihi qui 235
Tua nece affers necem ſorori.

Chorus. , , Præſtare pietatem pium eſt :
, , At ſceptra, cui regnum obtigit,
, , Violare nequaquam licet.
Sed perdidit te affectus amens. 240

Antigone Infleta, ſolaq; ſine Hymenæo
Infœlix rapior
Mortis ad propatulam viam.
Nec mihi lampadis ætheriæ
Iubar hoc videre fas poſthàc. 245

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Meam nemo flet illacrymatam
Ruinam amicus.

Iambici trimetri.

Creon N On ſcitis, ante f nus vt mœſtos modos
ræpat lictore s Luctuſq; nemo comprimat, ſi fas loqui ?
non abducăt Quìn hanc mora rapitis remota , & abdito 250
lam. Circumplicantes vndiq; (vt fatus) ſpecu ;
Ibiq; ſolam linquitis, ſiuè occidat,
Seù vitam eo concluſa monumento colat ?
Pilati puritas. Sìc, qnantum ad hanc , nos labe * puri noxia.
Nec illa pòſt ſedes ſupernas incolet . 255
Antigone O tumule, ô antrum, ô lapide perfoſſo domus,
Cuſtos perennis, quó ſemèl greſſum ferens ,
Meis fruar, iam clade quorum maximum
Torua numerum deglutijt Proſerpina ;
Quorum vltima ego ſum , quæ (malum) diem anteà 260
Claudo ſupremum, fata quàm vitæ exeant .
Spes firma, ſi abeam, pectus inuaſit meum ,
Charam profecturam patri, & charam tibi
Mater, tibi charamq; germanum caput.
Nam mortuos vos propria laui manu, 265
Magnificum & ornatum dedi , tum funebres
Mœſta attuli inferias . At ô Polynices, hoc
Iam præmium habeo funus exornans tuum.
Rectè hoc decus tuliſſe ſapientes putant.
Soboles mihi ſi adſit parenti plurima, 270
Si mihi maritus lue periſſet tabida,
Nunquàm iſtud inuitis periclum ciuibus
Ingrederer. hæc quæ ratio prolectat loqui ?
Nam mihi marito adeſſet extincto nouus,
Proleq; vir alius ſereret ablata nouam ; At 275
Parente vtroq; orco receptis, quis nouum
In poſterum generare germanum poteſt ?
Tali te honorans fratris occiſum manu
Pacto, Creonti immane flagitium putor
Crimenq; dirum auſa eſſe , germanum caput. 280

F<1*r*> Nuncq;

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Nuncq; ad necem ſic manibus apprenſis rapit,
Sine thalamis toroq; nec iunctam viro :
Nec læta ſobolis turba matrem amplectitur.
sed orba amicis ſic miſerijs obruta,
Viuens ad ima trudor Inferni loca ; 285
Quàm ex legibus tranſgreſſa diuinis nihil ?
Quid ad Deos miſera alleuarem lumina ?
Quemuè ſociorum iure poſthàc alloquar ?
Etenìm reporto iniqua pietatem colens.
Quòd ſi Deûm cenſura iuſta eſſe hæc probat, 290
Veniam libentèr crimine obctrictæ damus ;
Sìn crimen horum eſt , plura caueant nè mala,
Quàm in me intulerunt, iure cogantur pati.

Anapeſtici.

Chorus E Tiamnum animos ſeruat eoſdem,
Veteraq; minax fundit ſtomachus ? 295
Creon Certè famulis, hanc qui abriperent,
Tarda excutier mora ploratum.
Antigone Hei mihi ; morti proxima vox hæc
Pectus penetrat .
Chorus Vos nequaquam ſperare hortor, 300
Non ſupplicium hoc sìc conſtituendum.
Antigone O Thebanæ terræ vrbs patria,
Et penates patrij,
A lictoribus vi abducitur. Rapior, mora nulla retardat.
O Thebarum perſpicite duces 305
Me reginam ſolam reliquam,
Quæ perpetior, cuiusq; manu ,
Iuſtam propter pietatem.

Carmen Chori vt ſolet, varium.

Chorus T Vlit infirmum Danaës corpus
Conſolatur eam Mutare iubar carcere ahæneo 310
Chorus ab exemplo Danaës Solis. Namq; ligatur
Clàm tumulari incluſa receſſu

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Atqui & clara eſt ſtirpe profecta,
Et prægnans Iouis auri
Sobolem aluo condidit. 315
, , Fati maxima virtus, validæ & vires:
, , Nec imber ipſam , aut Mars ferox,
, , Nec Turris alta, nec ratis
, , Salo incedens vitare poſsit.

Aliud adducitur exemplū Lycurgi.

Lycurgusq́; ſatus ſtirpe Driantis 320
Thracum rex, grauiter fulminea
Bacchi plectitur ira,
Paſsìm carcere ſaxeo ſeptus ;
Creſcens & vehemens ſic animi feruor
Conſedit rabie. Illum 325
Rabies corripuit,
Cùm Bacchum impeterat conuitijs prauis.
Ceſſare fecit Mænades,
Bacchiq́; reſtinxit faces ;
Canoras quoq́; Muſas laceſsit, 330
Tum propè Cyaneas maritimas petras,
Gemini & maris
Littus Boſphorium,
Atq́; Thracum Salmydeſſus,

** intelligit Plexippum et Pandionem, quos excæcavit nouerca.*

Ibi Threicius Mars cum * vtriſq́; Phinidis 335
Viderant graue vulnus,
A coniuge impoſitum feroci,
Orbatum vtriſq́; luminum iure orbibus,
Proiectione haſtilium cruenta,
Atq́; radiorum impetu diſruptum. 340
Poſteà liquefacti miſeri
Miſerum ſtatum

Matris, id eſt, Cleopatra.

Flebant * matris aue
Thalamis iunctæ ſiniſtra.
Quæq́; ex veteri ortum genere 345
Duxit Erechthidûm
Vmbriferis in antris ;
Ea alta iuxta eſt patris procellas,
Nata Boreæ, qui eſt rupe decliui celer,
Satus Dijs. Fata quin & illam 350

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Longæua complexa ſunt latentem.

ACTVS QVARTVS,

Senarij Iambici.

Tireſias T Hebane rex, en publica adſumus via,
Alloquitur Chorum & Creontẽ. Duo unius gradum ferentes lumine.
Cæcus viam ignotam ex duce inſtat præuio.
Creon Quid nuncias longæue Tireſia noui ?
Tireſias Ego docebo, tuq́; vati obtempera. 5
Creon Vnquàmnè ego conſilia reieci tua ?
Tireſias Rectè igitur ad clauum ſedens vrbem regis.
Creon Herclè ipſe fateor, me iuuaſti plurimum.
** Id eſt, in ſummo periculo.* *Tireſias.* Rurſùs age, ſape, ſtans * in acie nouaculæ.
Creon. Quid ? fare : vox me horrore perfudit tua. 10
Tireſias Certò ſcies,ſigna artis excipiens meæ ;
Antiqua in arce dum egerim auguria ſedens,
Probus vbi fuit auſpicia captandi locus
Ignotum aues tum voce fundentes ſonum,
Clanxêre tanquam œſtro maligno percitæ, 15
Et inuicèm ſeſe vngue lacerârunt fero.
Cædem arguebat ſtreipitus alarum euidens.
Pauore quaſſus cuncta quò vergant timens.
Flagrantibus ſacram appuli aris victimam,
Ex hoſtia vulcanus in tenebras abit : 20
In cinere tabuit artuum ſanies fluens,
Flammamq́; fumo reſpuit ſurgente, tum
Effuſa ſparsìm humi iacebant viſcera,
Adipem labans ſpernebat iniectam femur,
Monſtrauit iſtæc cuncta præcedens puer 25
Obſcura ſacri ſigna monſtroſi mihi.
, ,(Namq́; hic mihi dux eſt puer, ego cæteris.)
Vrbi tua hoc mens praua diſcrimen parit.
Altaria, atq́; coelitum ſacri foci
Scatent comeſto vulturum & canum cibo, 30
Miſero Oedipi nondum ſepulto filio.
Nec Dij pias litationes hactenús,
Nec artuum flammas nigrantes ſuſtinent;

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Mæſtæ nec argutos aues ædunt ſonos,
Paſtæ nefandas cædis humanæ dapes. 35
Hæc vſq; fili mente verſentur tua:
, , Hominibus eſt errare commune omnibus :
, , Sed culpa poſtquàm admititur, non ampliùs.
, , Stultus nec infœlix homo eſt, qui noxio
, , Non pertinax malo mederi nititur. 40
, , Nam pertinacia dura ſtultitiam arguit.
, , Sed cede mortuo, iacentem pungere
, , Noli : necare mortuum quæ immanitas ?
, , Studens tuæ hæc dico ſaluti : a beneuolo
, , Vtilia ſi promas, iuuabit diſcere. 45

Creon Omnes velut ſcopum petentes, ô ſenex,
Iam tela colliniatis in noſtrum caput.
Non me iſta diuinatio expertum latet,
Factioq; ſpretum veſtra vendidit diù.
Lucramini, diuendite electro hoc caput, 50
Seù ſardico, ſeù auro velitis Indico
Nunquàm illum humo condetis iniecta tamen ;
Non, ſi Iouis aquilæ velint abreptum eum
Vt prædam ad altos proijcere Iouis thronos.
Nec, vt piaculum hoc paueſcens horridum, 55
Dari ad ſepulturam ſinam. Scio probè,

Creon ſuſpicatur, Tireſiam pecunia corruptum eſſe.

, , Lædare Deos mortalium nemo poteſt
, , Multi diſerti, ô Tireſia, turpiſsimis
, , Labant ruinis, quando lucri gratia
, , Turpem ore ſermonem polito fabricant. 60

Tireſias Heù, nemo ſcit mortalis hoc ? nemo explicat ?

Creon Quam rem ? quid hoc commune dictum obnunciat ?

Tireſias , , Opulentiam ſummam eſſe conſilium bonum.

Creon **, ,** Damnum eſſe maximum rudem inſipientiam.

Tireſias Hic te profectò morbus oppreſſum tenet. 65

Creon Acerba nolo obijcere vati opprobria.

Tireſias Atquì obijcis, me falſa proloqui aſſerens.

Creon , , Vatum omne diuitiarum inexplebile genus.

Tireſias , , Tyrannicum genus omne turpi lucro hiat.

Creon Num Principem noſti eſſe , dicta in quem iacis ? 70

Tireſias Noui : hanc quidem vrbem mea ope ſeruaſti integram.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Creon Prudens es augur valdè, at iniuſto fauens.
Tireſias Me ex pectore haud mouenda cogis proloqui.
Creon Moue, loquere, lucri modò haùd adigat ſitis.
Tireſias Siccinè lucro me mens tua impulſum æſtimat ? 75
Creon Nunquam animum habebis (ſcito) venalem meum.
Tireſias At ſcito tu : Non ampliùs multos rota
Solis diurnos rapida ducet circulos,
Ex liberis vnum antequam ipſe mortuum
Inuitus in locum peremptorum dabis : 80
Quòd obrutos foſſa abdita viuos habes,
Animamq́; tumulo honoris expertum locas :
Tum etiam, Inferûm quòd ſorte vacuum debita,
Et funere, & iuſtis carentem contines,
, , Quod nec tibi, nec Dijs ſupernis fas erat. 85
Sed (peſsime) iſtæc ſcelere violantur tuo.
Horum ergò tendunt in tuum inſidias caput
Vltricium iam turba Furiarum horrida
Vt tete in ipſis obſitum prendant malis.
Tecum hæc puta ; tentatus an precio fidem 90
Dico. Haud erit prolixa temporis mora,
Cùm tua tuorum perſtrepet luctu domus.
Infenſa valdè fiet vrbs quæuis tibi,
Quamcunq́; trux canum aut ferarum polluit
Laniatus, aut rapax volucris putido 95
Fœtore ſacros vrbis inficiens Lares.
In te dolentem talia, quaſi arcu potens
Emiſi acerbi firma cordis ſpicula,
Quorum haud vales effugere feruentem impetum.
Nos ergò, * fili, ſine mora hìnc abduc domum : 100
Stomachum * ferocem in iuniores euomat,
Linguamq́; pòſt diſcat alere proteruam minùs,
Mentemq́; , quàm nunc, corde meliorem gerat.
Chorus Diſceſsit ô Rex, horridas iactans minas.
Cognouimus certè, capillum ex quo nigrum 105
Ætas mihi in canos ſeneſcens tinxerat,
Hunc nunquàm in vrbem vana præfatum hactenùs.
Creon Noui ipſe : & hìnc mens trepida turbatur mihi.
Concedere eſt graue : at reluctantem tamen

** Puerum ſuum affatur, a quo ducitur.*

** Hic id eſt Greõ*

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Animum aſpera clade opprimi grauiſsimum. 110

Chorus Imò ô Creon nùnc conſilio eſt opus bono.

Creon Quid exequi ergò debeam oſtende, obſequar.

Chorus Statìm hìnc profectus virginem effoſſo ſpecu
Emitte, tum buſtum perempto conſtrue.

Creon Hæccinè probas & author es concedere ? 115

Chorus Quàm, Rex, celerrimè. Incito præceps gradu
, , Malos Deûm vindicta concîdit viros.

Creon Heù, vix adhùc a priſtina mente abſtrahor,
, , Vt hoc agam. At fato haud repugnandum graui.

Chorus Hæc perfice abiens, nè quid inceptes noui. 120

Creon Sìc gradiar vt poſſum. Ergò vos ſatellites,
Quotquot iam adeſtis, dexteras ſecuribus
Armate, & in locum æditum procedite.
Quandò hùc trucis deflexus eſt animi rigor,
Soluam ipſe præſens, qui priùs conſtrinxeram. 125
Namq; vereor, nè conſtituta iura dum
Retineo, non ſit optimum vitam ædere.

Carmen Chori, vt alijs in locis , mixtum.

** Id eſt, Semeles Cadmi filiæ.*

Chorus Bacchum inuocat,vt rebus afflictis opem fe- ///.

Chorus. Celeberrime, * Cadmeiæ
Nymphae decus ſummum, Iouis-
q; grauiſoni genus , 130
Qui nobilem foues
Italiam, regiſq; com-
munem agrum Eleuſinium
In Cereris campo ; ô
Liber Baccantûm metropoli Thebis 135
Habitans, madidum ad Iſmeni
Fluuium, atq; ferox
Iuxta genus draconis.
Radians bifido Parnaſ-
ſo viderat te fumus v- 140
bì Coryſiae nymphæ
Palare Bacchides
Caſtaliæ ad fluenta. Te-
q; frondentes hederis

<F4*r*> Niſſææ

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Niſſa eſt mons Phocidis, Baccho ſacer.

Niſſææ ripæ, & florens littus 145
Racemiferum lætis
Cantionibus effuſis mittunt
Thebani Ducem ſoli potentem.
Quam ex vrbibus cunctis
Amas, ictam Semelen 150
Ob parentem fulmine.
Iam ergò quando tota vrbs
Violento conſtringitur
Malo, veni precor
Salutari pede Parnaſsium 155
Iugum linquens, aut gemebundum
Aequor.
O ignis micantûm
Dux ſyderum, & qui nocturnis
Cantionibus præes, 160
O Iouis ſoboles,

Naxus inſula eſt ſacra Baccho.

Properato Naxijs
Cum comitibus citò, &
Thyadibus, quæ quandò furunt,
Nocte te in- 165
tegra Principem celebrant Iacchum.

ACTVS QVINTVS.

Iambici Senarij

Nuncius

O Incolæ Cadmi, domuſq; Amphionis,

Triſtiſsima fabulæ cataſtrophe.

, , Vitam hominis, antequàm effluit, nec laudibus
, , Efferre, nec culpare quis meritò poteſt.
, , Nam ſemper & fortuna fœlicem erigit,
, , Et denuò Fortuna miſerum deprimit. 5
, , Nec vlla rerum auguria certarum ſcio.
Mihi beatus viſus eſt olìm Creon,
Quando hoſtium è terra hac cruentam vim expulit.
Obtenta patriæ ſceptra ſolus rexerat,
Florens celebri liberûm propagine : 10
, , Nùnc cuncta pereunt. Nam voluptates (viri)
, , Cùm deſerant, * non ampliùs quenquàm æſtimo

** Hic verſus integer deerat in*

<F4*v*> , , Vitam

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

noſtris exemplaribus Græcis,dum admonitione Ioachimi Chamerarij ex Athenæo reſtitutus erat.

, , Vitam agere, ſed viuum cadauer cenſeo.
, , Eſto domi fortuna, ſi vis, ſplendida
, , Vitamq́; tibi regalis illuſtret nitor, 15
, , Hoc ſi abſit, his cum gaudio lætè frui,
, , Fumi vmbra ego reliqua præ voluptate haùd emam.

Chorus Quas afferens iam regis ærumnas venis ?
Nuncius Sunt mortui : ſunt cauſa, qui viuunt, necis.
Chorus Et quis trucidat explica, & quis occidit ? 20
Nuncius Hæmon ſua ictus dextera lætho occubat.
Chorus Vtrùm paterna læſus, an propria manu ?
Nuncius A ſe ipſe, coniugis ob necem infenſus patri.
Chorus Vt verba vates vera es effatus nimìs.
Nuncius Sic res habet : nunc alia meditari licet. 25

** Hanc Euridicen Heſiodus Heniochen vocat.*

Chorus. At cerno iam miſerrimam * Eurydicen toro
Iunctam Creonti : ex ædibus vel mortuo
Quiddam audijt de filio, vel caſu adeſt.
Euridice Sermonis, ô ciues ego accepi ſonum
Ædem Mineruæ Palladis ſacram petens, 30
Vt veni amenam precibus appellans Deam,
Duræ recludens ferream portæ ſeram,
Et cladis aures perculit domeſticæ
Strepitus: ad imam prona tellurem cado,
Famulæ timent, me pauidus oppreſsit ſtupor. 35
Sed rurſùs expedite quicquid ſit mali ;
Non calamitatum ignara cuncta exaudiam.
Nuncius Ego, ô Domina Regina, coram proloquar,
Nec præteribo veritatis quippiam .
Mollire te qùid moliar, cùm poſteà 40
, , Fallax ero ? Res recta ſempèr veritas.
Ego tui ſectabar in campum pedes
Mariti, vbi deforme Polynicis ſitum
Erat cadauer canibus eroſum feris.
Primum triformem Hecaten precati, noctis & 45
Dirum arbitrum, beneuoli vt iras comprimant ;
Pura hunc aqua lauamus : effractis recèns
Ramis, necati reliquias exuſsimus:
Terræq́; buſtum fabricantes eminens,
Rurſum ad puellæ lapide conſtructum aſpero 50

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Thalamum profanæ mortis ingredimur cauum.
At vocis altos eiulatus eminùs
Quidam propè ad thalamum ſepulchralem audiens
Rapido Creonti monſtrat aduentans pede.
Huic ocyùs dum properat, inſanæ ſonus 55
Vocis ſtrepit , pòſt corde lacrymoſo gemens
Hoc triſte verbum emittit. ô infelix ego ;
Sumnè ipſe vates? numquìd infauſtiſsimam
Hanc omnium, in quas me dedi, ingredior viam ?
Vox filij pectus quatit. ſed concito 60
Famuli gradu properate & aſtantes propè
Aſpicite ſaxeam aggeris compaginem,
Limen ineuntes carceris : vel Hæmonis
Vocem audio, vel Dij mihi errorem offerunt.
Hæc conſpicati Regis ex iuſſu ſumus 65
** id eſt Antigonẽ* Animo cadentis. * Hanc receſſu in intimo
Ceruice vincta penſilem conſpeximus,
Zona tenaci aut ſindone obſtrictam gulam,
** id eſt Hæmon.* Atquì * ille mediam mulierem amplexus iacet,
Sponſæ grauem pendentis interitum gemens, 70
Dirią; facta patris, & miſeros toros.
Vt vidit hos planctu aſpero exhauſtus pater,
Irrumpit intrò : fletu apud ſeſe ædito
Clamat ; nefas ô quale conflaſti miſer ?
Quid cogitas ? cur clade temet conficis ? 75
Egredere fili, en ſupplices tendo manus.
Illum feroci natus aſpectu intuens,
Et reſpuens vultu, ore compreſſo, truci
Enſem manu diſtrinxit ancipitem ; patre
Iſtum fuga vitante, fruſtratus ferit. 80
Deinceps ſibi infeſtus miſer, medium obuio
Immergit enſem latere : pòſt in flexilem
Adhùc ſuſperſtes virgini amplexum ruit ;
Ex imo anhelans efflat eductum halitum,
Alto cruentum ex ore ſanguinem vomens. 85
Sìc mortuam extinctus premebat, nuptias
Cæca miſer ſortitus Inferni domo;
Eurydice dolore victa domum ſe , , Facto indicans, quàm turpe ſit, quàmą; improbum

<G1v> , , Præceps

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

recipit. , , Præceps temeritas rebus humanis malum.
Chorus Quid hìnc potes conijcere ? iam mulier abit, 90
Bonum priuſquàm effatur, aut verbum malum.
Nuncius Et me quoq; inuadit ſtupor : ſpe tamen alor,
Quòd filij cladem audiens, non publicè
Lamenta profundet, ſed intùs in ædibus
Sobolis acerba fata cum ancillis gemet. 95
Non tam illa læuæ eſt mentis vt peccet palàm.
Chorus , , Ignoro : mihi nimium ſilentium graue
, , Portendit aliquid. Verba fruſtrà hìc fundimus.
Nuncius Quìn irruamus, nè cor ira percitum
Clàm immane quoddam facinus occultet, domum 100
Totam peragrantes. ais quidèm probè,
, , Nimij miſeria vſq; eſt ſilentij comes.

Anapeſtici.

Chorus A Tquì, en, fert hìc Rex ipſe gradum
Gnatum exanimem dextra apportans.
Dicere ſi fas, non ex alio eſt 105
Clades ; culpa at penes ipſum eſt.

Carmen Choricnm variè mixtum ad finem vſq;
Tragediæ , interſertis multis & Senarijs ,
& Iambicis , & Anapeſticis.

Creon Heù mentis incallidæ
Creon apud Chorum ſua facta deplorat. & errata pergrauia,
& exitialia. Heú qui necant,
Necatoſq; qui cog- 110
natos vident.
O incepta iàm meis in-
fauſtiſsima.
O fili tener tenellæ adiacens,
Heù , oh e : 115
Moreris, occidis,
Mea, non tua , truci amentia.
Chorus Vt ſerò quod iuſtum eſt videris cernere ?

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Creon Tandem miſer cognoſco. iam noſtrum in caput
Deus, calamitate me graui premens, 120
Intonuit, & me clade concuſsit mala ;
(Heu) ciuium commune remouens gaudium
Eheù :
, , O aſperi labores virûm.
Famulus Rex aduenis quaſi malorum poſsidens, 125
Partìm in manu, partìm afferens, partìm ædibus ,
Redis miſer, nouaq́; iſta viſurus mala.
Creon Num peius etiamnùm, aut malorum eſt amplius ?
Famulus Vxor necatæ prolis infœlix parens
Extincta dudum vulnere inflicto iacet. 130
Creon O , ô domus Tartari
Nefanda, quid me conficis luctu ſenem ?
Eho dolores mihi af-
ferens peſsimos, quid affers mali ?
Væ : perditum anteà necaſti virum. 135
Profare ô ſerue, quid hoc quod nuncias noui eſt ?
Væ, væ, væ :
Sobolis ad necem
Ferox coniugis fatum eſſe additum ?
Famulus Cernere licet. Nam non humata eſt hactenùs. 140
Creon Hei mihi :
Etiam ſecundus aliud malum cerno miſer.
Quod ergò, quod me iam manet fati genus ?
Natum cruenta defero infælix manu,
Ipſamq́; video flebili extinctam nece. 145
Heù mater miſera : heù fili.
Famulus Illa enſe tranſſoſſa, illa circum altaria
Premit venuſtas palpebras. lugens quidem
Priùs celebrem Megarei abſumpti torum
** Id eſt Hæmonis* Poſt * huius obitum, dira poſtremò tibi 150
Fata imprecatur prolis extinctæ reo.
onre C Heù, heù, Eheù :
Metu diſtrahor.
Quid hoc pectus ne-
mo mortifero enſe traiecit ? æ- 155
rumnoſus ego : heu , heù.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Ærumnoſa me calamitas premit.

Famulus Horum quaſi culpam malorum ſuſtinens,
Ob virginis fatum impium pænas luis.

Creon Quo diſſoluta in cæde coniux eſt modo ? 160

Famulus Ipſa proprium mucrone tranſſixit iecur,
Vt filij lacrimabilem accepit necem.

Creon Heù : harum fœda cladium a me nota
In alium nequit referri virum ;
Ego te, ipſe ego perêmi. ô miſer. 165
Ratum ipſe eloquor. Ehò ſeruuli,
Rapite me citò, abripite me hìnc procùl,
Qui non ſum magìs, quàm qui nullus eſt.

Chorus Lucrum imperas, ſi quid lucri ſit in malis :
, , Nam quæ breuiſsima in malis, ſunt optima. 170

Creon Veni, veni,
O optata mors, meorum optimè
Ferens vltimum malorum diem :
Tandèm veni , veni ,
Vt haud alia lux mihi appareat. 175

Famulus Sunt hæc futura ; at iam quid hæc facere eſt opus ?
Curent quidem, curare quos iſtæc decet.

Creon Sed quæ loquor, ſunt maximè in votis mihi.

Famulus Nè nunc preceris quippiam. nunquàm malum.
, , Fatale quiſquàm effugere mortalis poteſt. 180

Creon Virum abripite perditum me hinc procùl,
Qui te ô gnate non volens neci dedi :
Teq́; coniux. Heù me miſerum, neſcio
Priùs quem aſpiciam, aut quo curſu properem.
Nam cuncta ceciderunt mihi partìm in manus 185
Obliqué, & hoc partìm in caput :
Totumq́; Diui ſorte me mactant graui.

Chorus , , Prima beatæ pars eſt vitæ
, , Multum ſapere : valdè in Diuos
, , Nocet impietas, magnam elati 190
, , Pænam ob grandia verba luentes,
, , Sapere extrema
, , Tandèm didicêre ſenecta.

Ictus piſcator ſapit ; & Homer[9]. *ῥεχθὲν δέ τε νύπιος ἔγνω.*

FINIS ANTIGONES.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

MUM

Ad EVNDEM ILLVSTRISS.

ARVNDELLIÆ COMITEM

Octaſtichon.

H *Æc mea ſi quicquam placuit tranſlatio, Cômes*
Inclyte ; materies aut bona ſi qua ſubeſt :
Hæc mea pompa ſimùl placeat proſitá legenti,
Quam totam Antigones fabula triſtis habet.
Inſupèr appoſui pompis , quae digna notatu, 5
Themata ; quæá probes vtilitate ſua.
Tu dignare igitur vultu luſtrare benigno,
Quod dedit ignoti Muſa benigna viri.

Veſtri honoris ſtudioſiſsimus
Tho. Watſonus.

POETA.

P Er omne ſcriptorum genus ſapientia
Diuina ſerpit : illa communis libro eſt
Cuiá; & arti iuſta materies: In hac
Verſantur omnes, & ſuum ſtudium locant.
Tamèn relucet clariùs nuſquàm , bona 5
Quàm ſub Poëſi ; quæ loquens dici poteſt
Pictura in hominis mente virtutem imprimens.
Quò propiùs ipſam vîderis, pulchra eſt magis ;
Speciem bonorum ſignat in mente, & viæ
Rectæ magiſtra corrigit vitæ malum. 10
Natum eſt Poëma, vt mentibus noſtris ferat
Opem, vagoſá; vt tollat errores : in hoc
Conficta vitæ debitum noſtræ docet
Perſona curſum ; quid decet, quid non ſequi.
Velùt hìc acerba clade proſtratus Creon 15
Suis apertè prodit ærumnis, malum
Quàm ſit nefandum dura mens, animi & rigor
Inflexus : in quem nulla vis, ratio, minæ
Valent, ſed animo ſempèr incepto tenax
Inhæret. Hanc rem pompa monſtrabit ſequens. 20

<G3*v*> Iuſticia.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

IVSTITIA, *cum ſceptro*.

Prima I Vdex habenas ſolus imperij tenens
Pompa Sum pacis author, ſumq́; cauſarum arbiter ;
Ego regna & vrbes legibus ſanctis rego ;
Iubente me omnes omnium creſcunt opes ;
Veteres reuello fortis iniurias ; graues 5
Compono lites ; regulam ſcriptam ſequor,
Seù exorno honeſtos, ſeu malo fontes premo.
Sed ſæpè ab iſtis diſtrahor nolens, volens ;
Hìnc Æquitas, hìnc dirus abducit rigor ;
Ancepsq́; dubito quid ſequi præſtet. ſed hìc 10
Audire, quæ me iam petit ratio, libet.

ÆQVITAS, *mulier cum bilance*.

E Go media inter ius licentiamq́; eo,
Benignitatis Æquitas ſemper comes.
Etsì colam ius maximè, rectè tamèn
De iure ſummo mitigo quantum licet, 15
Et cauſa quotiès flagitat bona. Tempero
Memet ego, & ardens abripit nuſquam furor.
Si ſit neceſſe, muto iudicium datum,
Aut sì vſus alitèr poſtulet rectus . graui
Multum remitti lenitèr pænæ decet. 20
Quin Domina, famula ſimi tibi : multum bonus
Iuuabit animus in re iniqua. Patriæ
Per me ſalutem, rebus afflictis opem
Feres; quietam ciuibus pacem dabis.
Namq́; vt miniſter legis eſt quiſquis præeſt, 25
Sic dominus eius ſubdita eſt arbitrio.
Hærere ſcripto mordicùs minimè licet.

RIGOR, *vir cum gladio*.

Q Vìn lenitas hæc mentis eſt ſtultæ nota,
Sceluſq́; prauum creſcere in peius facit.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Imò tuetur Principem inflexus Rigor , 30
Linguas,malumq́; candido ferro premens.
Cuſtos fidelis ſeruat imperium metus.
Labefactat vrbes ſola ſpes veniæ ; ſemèl
Si detur, aliud maius irritat malum.
Quiſquis remittit , tranſgredi leges docet. 35
Fouet ſcelus qui punitægrè. Iudicis
Boni eſt ſeuerè perſequi ſententiam ,
Normamq́; ſcriptæ legis. Indulgentia
Quàm ſæpè magnas ciuitates perdidit ?
Quot regna turpi ditia æquauit ſolo ? 40
Parêre dicto qui recuſat pertinax
Tollatur enſe vindice, extinctus cadat.
Exempla cunctis æde. Nullius minis,
Nec te querela vocis inflecti ſinas.
Sìc me Rigore regna confirmes tua. 45

IVSTITIA.

H Ic ſermo præſtat : vtar hìc ferro tuo ;
Tutuſq́; nemo iura calcabit mea.

OBSTINATIO, *vir cum lorica*.

A Damante durius cor Obſtinatio
Poſsideo : ferrum temnoq́; & flammam rigens :
Inuia ſagittis pectus obſtringit meum 50
Lorica : non me læthifer domat chalybs ;
Nec ſurda molles ora blandiciæ mouent ;
Saxum reſultat, reſpuitq́; ictus meos ;
Vultuſq́; noſtri eſt ſempèr inuictus color.
, , Proles Rigorem dura genitorem ſequor. 55

IMPIETAS, *vir cum mucrone*.

, , F As omne rumpo prorſus impietas furens.
, , Per omne crimen noſtra graſſatur manus.
, , Necmetuo ciues, nec propinquos, nec Deos.

 , , In

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

, , Inſcelera greſſu cunta præcipiti feror.
, , Hic mucro parcit nemini , quemuis ferit, 60
, , Ipſiq; ſummo vel Ioui vulnus dabit.

FLAGELLVM, *vir cum flagello*.

I ouis flagellum punio iniuſtos viros,
Vltrixq; per me pæna crudeles manet ;
Immineo ſempèr crimini, & ſontem premo;
Peccanſq; loro cæditur quiuis meo : 65
Nec crimen vllum hanc vindicem effugiet manum.
, , Tardat Iouis, ſed tollitur nunquàm vltio.

SERA POENITENTIA, *vir*.

H Eù, ſapio tandèm ſera Pœnitentia :
Quis facinauit cor meum inſanus furor ?
Quæ cæcitas hoc pectus obſêdit mihi ? 70
Quod ſi antè noſſem hoc, emori optaſſem priùs,
Quàm perpetraſſem tanta. nunc votum eſt mori.
Heù mentem inanem : dira me clades premit.

POETA.

P Riuata magnus riſpicit dum animus mala,
Secunda Partem in ſiniſtram ductus affectu leui,
Pompa. Violare tentat publicum ius, propriæ
Memor miſeriæ, in patriam officij immemor,
Contraq; faſces incito fertur gradu, 5
Facinuſq; mortem per malum accelerat ſuam.
Atq; hæc ſepulcrum flebile Antigones docet :
Palàmq; faciet iam ſequens ſpectaculum.

MAGNANIMITAS, *mulier.*

P arente claro nobilis Magnanimitas
prognata, honorem ſtemmatis iacto mei. 10
Noſtrum hàud decebit pectus affectus leuis.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Immota paruis, non leui irritor malo.
Iacere multúm me pudet , multum fero.
Intenta quicquid conor, effectum dabo.
Quam ſumo partem, protego vehemens nimìs. 15
Incerta dubito ſæpè quò vertam priùs,
Dum patria, nexus ſanguinis, princeps vocat.
Parere ſimùl his haùd licet. Procedite,
Docere quam nunc ingredi præſtet viam.

PATRIA *anus*.

P Atriam parentem me tuam conſtans ama: 20
Te gremius iſte geſsit, & mammam dedi.
Sapiens Vlyſſes patriam nidum quaſi
Saxis repoſtum æternitati prætulit.
Præſtare nunquàm quod mihi debes, potes :
Quiſq; eſt beatus, dum mihi eſt florens ſalus ; 25
Cùm pereo, miſer eſt : emori pro me parum eſt.
Vſq; eſt tenendum noſtra vox quicquid iubet.
Vis eſſe fælix ? audiens eſto mihi.

COGNATIO, *vir ſquallidus*.

C Ognationem ſanguinis partem tui
Me deſeres ? ab hoſte calcari ſines ? 30
En quanta pacior. Totus infœlix cadam
Si prodar a te. nullus auxilium feret.
Lenimen vllum non erit noſtri mali.
Ergò petenti cede iutricem manum,
Et fac quod omnes iura naturæ iubent ; 35
Natura ſuadet ferre cognatis opem.

MAGNANIMITAS.

** Id eſt Patria.* T E iàm iuuabo, ſponteq; * hac ſpreta ſequar.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

TRANSGRESSIO, *vir*.

T Ranſgreſsio æqui nomen eſt mihi : ſequor
Quò fert voluntas : lædo vicinos agros,
Tranſilio ſepta, limites demolior ; 40
Admotus & obex pectus inflammat magìs:
Nihil coercet. iura frango publica.
Species honeſti ſi qua, nil quicquam moror.

CONTVMACIA, *vir*.

I Stùc rebellis aſto Contumacia,
vultum impudentem, ſpiritus magnos gero : 45
Nec me timere iudicis vultus facit.
Peccaſſe quicquàm non pudet, factum ſcelus
Defendo, iacto , glorior. Famæ quasì
Studens, libenter fata quod ſtatuunt feram.

ODIVW *vir*.

O Dium ſceleſtos proſequor : prauos premo 50
Vi ponderoſa, nemo me benè ſuſtinet :
Charos amicos ante hàc tandem horreo,
Merita & priora prorſùs ex animo cadunt.
Me partinacem nullius damnum mouet :
Cuiuſq; mordax crimen allatro vt canis. 55

SVPPLICIVM , *cum ſecuri*.

I Mmane recta voce ſupplicium vocor ;
Ex ore ſemper iudicantis pendeo.
Exilia, mortem, carcerem hac dextra fero.
Perago imperata , reffero abſciſſum caput.
Sæuam hanc ſecurim nemo declinat reus. 60

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

POETA.

Tertia Pompa.

I Vuenile pectus feruidus penetrans amor
Statum priorem mutat atq; alium facit.
Aduerſa ſi res acci[d]at, neſcit regi ;
Exutus animo, pronus in artes malas
Fertur : ſalutem negligit. Verbum eſt vetus, 5
Sapere, ac amare vix Ioui iunctìm datur.
Hæmonis hoc, ſe dum necat, fatum docet ;
Idemq; monſtrat ordo qui prodit nouus.

CVPIDO, *puer cum arcu & ſagittis*.

A Dſum Cupido dictus infamis Deus.
Quamuis vtroq; lumine orbatus; tamen 10
Sagitta metam tangit hæc : quoduis iecur
Emiſſa penetrat, & loco in iuſto manet.
Vagor per omnes impiger mundi plagas
Semper ſecundis rebus inſidias loco.
Vel fulminantem noſtra fax torret Iouem. 15
Hæc me furentem turba ſectatur comes.

TEMERITAS, *vir*.

L Ingua proterua futilis ſum Temeritas.
Incerta me ſors, nulla ſed ratio regit.
Præuideo prudens nulla : quæ caſus feret,
Sequor : fidele ſperno conſilium ; obſtrepo 20
Procax & amens : ducit error de via.

IMPVDENTIA, *vir ferreum os*.

S Vccedo vultus ferrei Impudentia.
Perfricta frons hæc neminem prorsùs fugit,
Pudor nec vnquam conſcius vultum notat.
Prorsùs decorum negligo officium inſolens. 25
Non cedo patri, ſed laceſſo opprobrijs ;

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Innata talis pectori eſt audacia.

IMPETVS.

P Ræceps vaguſq; & pronus ad caſum Impetus.
Noſtros amores ſi quid aduerſum premit,
Vel ſi dolores bile cor pungant meum, 30
Quò timeo ferri ? nil moror, ſed quodlibet
Attento facinus : exulat ratio : quasì
Rabie maligna percitus, morti obuium
Do ſæpè memet, fata præuertens mea.

INTERIT VS.

I Nteritus a[d]ſum, memet &lædo furens. 35
Nullus cadentis ordo naturæ hùc trahit,
Sed vis refringens cæca vitæ ſtamina,
Manumq; propriam in funus armauit meum.
Vitam hanc adêmit mens mea impaciens mihi,
Raptiq; amoris luctus affligens. Comes 40
Huic fio, ſequitur Impetum quiſquis ducem.

POETA.

Pompa quarta,et vltima.

F œlix putandus, mente qui prudens agit.
Gratus piuſq; eſt in ſuos : Legi datæ
Parere nouit ; ſempèr illæſus manet ;
Omni ex periculo liber euadit ; bono
Fert placidus animo, quicquid aduerſi venit. 5
Illuc apertè mitis Iſmene docet ,
Et iſta quæ iam turba poſtremò venit.

RATIO.

E N Ratio viæ lumen humanæ vnicum ;
Monſtrare rectum muneris pars eſt mei.
Affectus ore cedit obliquo mihi, 10
Conſilia laudo ſana ; nil præceps ago.
Mores viciaq; trutinam ſubeunt meam.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Rectum capeſſo ; reſpuo quicquid malum eſt.
Fortuna quamuìs duplici includat malo,
Perſiſto placida ; recta mens ſemper manet. 15

PIETAS.

P Ietas inermis, Patriam et Divos colo ;
Propenſam in omnes mentem ego afflictos gero.
Pars nulla vitæ debito officio vacat.
Fratres, parentes integra obſeruo fide ;
Semperq́; refero gratiam cunctis parem. 20
Sum chara ſemper omnibus quoquò feror ;
Et quicquid vſquàm molior, cunctis placet.

OBEDIENTIA.

C Lemens remiſſo pectore Obedientia,
Non ambio alta ; ſorte contentor mea ;
Quicquid poteſtas imperat, ſeruo libens. 25
Rectè puſillam ferre fortunam ſcio.
Appetere nolo ma gna. nam quiſquis benè
Latet, benè etiam viuit : in plano leuis
Eſt lapſus: vnquam paruiſſe haùd pœnitet.

INCOLVMITAS.

A Ccedo membris integris Incolumitas. 30
Quodcunq́; capiti crimen illatum eſt meo,
Virtute forti pellit integritas ſtatìm.
Namq́; innocens haud hæret in culpa diù ;
Non ſubita me mors pellit, aut fallax premit ;
Vita at capillos candida ad canos manet. 35

FOELICITAS, *cum Corona.*

F œlicitatem quiſq́; melongæ viæ
Metam requirit : ſum laboris terminus ;
virtutis almæ præmium, finis,comes.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Me præpotentes, ſplendidi & regno ambiunt,
Sanaq́; quotquot mente ſunt ; fruſtrà tamen. 40
Fortuna non me cæca ſublimem capit ;
Sed ſola virtus, arduam ſcandens viam,
Ad hanc coronam tendit, & partam tenet.

POETA.

Iſta dicuntur pro Epilogo.

EX rebus iſtis hoc minutis ordine,
Quantus metatur fructus apparet ſatis. 45

Finis pomparum.

Hic ſequntur quædam themata, ex ipſis huius Tragediæ præcedentis viſceribus deriuata.

Themа primum .

Cæcam philautian multarum calamitatum cauſam eſſe ex Creontis exemplo diſcimus.

Carmen Iambicum, Dicolon Diſtrophon.

NVllum ſecundis inſolens fœlicitas
Admittit in rebus modum.
Multos ſui in veſanum amorem compulit
Tumida poteſtas abripi.
Hìnc mentis aciem propriæ ſapientiæ 5
Inflatus excæcat ſtupor.
Recti ſtatìm diſcrimen ac iuſti exulat,
Exercet imperium impetus.
Quodcunq́; præceps cæptat affectus, placet :
Libido dominatur furens. 10
Illâc voluntatis Tyrannis corruit,
Quà feruor effrænis rapit
Virtutis imperium ac honeſti ſoluitur;
Ipſa pietas mota eſt loco.
Remiſſa habena fertur in præceps equus, 15
Quôcunq́; libertas iubet.
Præfracta mens, & duris in malis rigor
Hæc cuncta ſectatur comes :

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

, , Quem nulla flectit ratio, nec prudentia,
, , Nec turgidæ frangunt minæ. 20
, , Immò vſq; pertinax in incepto manet,
, , Nunquàm remittit, quod tenet.
, , Non vlla rigidum verba prudentûm, aut grauis
, , Authoritas ſenum mouet.
, , Vatum piorum temnitur ſacrum decus, 25
, , Et clara cedit dignitas.
, , Quìn in ſupremum concita impietas Deum
, , Prorumpit in tetrum ſcelus.
, , Præterita crimen culpa prolectat nouum,
, , Nulluſq; peccandi eſt modus. 30
, , Etenìm prioris finis infœlix mali
, , Peioris eſt ſempèr gradus.
, , Tandèm ſeuerus criminum vindex Deus
, , Pænas acerbas expetit.
, , At qui ſapit, non quæ libent, ſed quæ decent 35
, , Et recta ſunt, amplectitur ;
, , Proprijs nec ipſe blandus ignoſcet malis,
, , Aliena poſtponens ſuis ;
, , Sed tetricus ipſe mentis eſt cenſor ſuæ,
, , Decreta coſilio regens. 40
, , Quemcunq; carpit, arrogat nuſquàm ſibi,
, , Se noſcere imprimis ſtudens.
, , Non ſentienti morbus eſt multùm grauis,
, , Vt qui remedium reſpuit.
, , Ferrum medentis vulnus obductum fugit ; 45
, , Opem recuſant, quæ latent.
, , Parêre medico prima curandi eſt via :
, , Qui ſe optimè ſcit, optimus.
, , Ergò cauendum eſt, nè tui fallat te amor,
, , Nèc mentis elidat ſtatum. 50
, , Expende quicquid feceris, ſi expers mali,
, , Si vis beatè vivere.

Secundum Thema Quàm ſit malum publico Magiſtratus edicto nòn parêre,
Antigonæ exemplum docet.

<H4*v*> *Carm//*

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

THEMATA.

Carmen Anapeſticum Dimetrum.

, , M Elius prorſùm nihil inuênit
, , Legibus æquis Natura parens ;
, , Pietas clemens, ſtabiliſq; fides,
, , Virtuſq; grauis nititur illis.
, , Conſtans populi norma regendi 5
, , Ipſa eſt vrbis vita quietæ.
, , Qui magnificum gerit imperium,
, , Legum eſt ſeruus. non continget
, , Tramite recto hoc error eunti.
, , Quicquid ſtatuit ſumma poteſtas, 10
, , Id pro lege eſt a ſubiecta
, , Plebe tenendum. Sitit exhauſta
, , Riuulus vnda fonte obſtructo.
, , Capite infecto membra ſoluta
, , Citò fatali tabe peribunt. 15
, , Spernere nulli licet impunè :
, , Nisì conuulſus ſimùl in nihilum
, , Status effractæ concidat vrbis.
, , Niti in vetitum ſubdola honeſti
, , Species magnos incitat animos ; 20
, , Dum reſpiciunt mala priuata,
, , Publica regum iuſſa effringunt.
, , Propriæ mæror cladis acerbus
, , Omnem officii remouet curam.
, , Peſſima virtus animoſa ſui 25
, , In perniciem facta attentat :
, , Pugnat in vndas ire aduerſas .
, , Rapidi curſum fluminis acrem
, , Obice admoto fruſtra coercet.
, , Nulla doloris vis priuati 30
, , Iuſtis meritò faſcibus obſtat.
, , His & amici ratio & fratrum
, , Gratia, ſumma & cura parentum
, , Cedere debet. Sontes pelagus
, , Grauat immenſum, & Lærna malorum, 35

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

, , Vetera incaſſum recidunt merita ,
, , Animus chari gratus amici
, , Prauum exemplum læſus abhorret,
, , Atq; efficitur ferus ex fido
, , Hoſtis amico. Grauis eſt regis 40
, , Ira offenſi. flexile vimen
, , Onus immenſum non ſuſtentat,
, , Imò iniecto pondere ſidit.
, , Carcer, egeſtas, pædorq; domant ;
, , Cladeſq; modum patitur nullum. 45
, , Aſpera fati vis funeſti
, , Vltima tandèm pæna ſequetur.
, , Fatuus ſtimulum qui ferit acrem,
, , Pede nequicquàm promouet icto.
, , Plaga authori nocet impoſita. 50
, , Res grata quies. Diſcere nimìs eſt
, , Sapere accepto vulnere ſerum.
Ergò corpus florere diù
Validum exoptas ? capiti pare .
Longum fœlix gerat imperium. 55
Sic perpetuo benè procedunt
Omnia curſu.

Tertium Thema. Quæ corrigere nòn poſſumus , ea attentare nè velimus docet Iſmene, vitæ quietæ formam tradens.

Carmen Sapphicum.

, , S Vmma ſi legem iubeat poteſtas
, , Impiam, vel ſi violet benignæ
, , Iura naturæ, minimè cuiuis
, , Frangere fas eſt.
, , Arduis ſeſe ſapiens dolebit 5
, , Rebus intrudi : ſtudet vt lateſcat
, , Grata libertas : benè qui latebat,
, , Is benè vixit.
, , Abſtinet magnis, animoq; paruam
, , Ferre fortunam benè diſcit æquo : 10

<I1*v*> , , Vtitur

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

, , Vtitur paruis ſapiens, ſuaq́;
, , Pelle quieſcit.
, , Ponderi cedunt nimio libenter,
, , Quod pati molles nequeunt lacerti ,
, , Nec ſinunt vires onus impotentes 15
, , Frangere durum.
, , Mobiles rerum dubijq́; caſus.
, , Quod ſtatu durat nihil eſt eodem.
, , Inuicem recta & mala cuncta certo
, , Ordine cedunt. 20
, , Quæ minor prauè ſtatuit poteſtas,
, , Maior aduentans eadem reuellit.
, , Ipſe quod cæptas malè, ſæpè præceps
, , Efficit ætas.
, , Quicquid excelſum eſt, dubia locatur 25
, , Sede. Nymboſo Borea ſuperbæ
, , Vappulant turres : feriunt niuoſos
, , Fulmina montes.
, , Vulnus euitat macilenta ceruix :
, , Seq́; res rectè modicæ coercent : 30
, , Turbidi paruæ rabies carinæ
, , Non nocet Auſtri.
, , Quem leuat culmen rota verſa in altum,
, , Nè ruat præceps pauet vſq́; : terra
, , Lapſus in plana leuis, & ſine vllo 35
, , Vulnere ſurgit.
, , Tutus anguſta cibus vſq́; menſa
, , Carpitur : ceſpes viridis profundos
, , Prouocat ſomnos ; caſa pellit omnem
, , Parua timorem. 40
Quæ ſupra vires mala ſunt, relinquas ;
Semper expectes meliora ; temet
Interìm frœna, & propria beatus
Sorte quieſce.

PRIN 2017 (2020-2024) – Classical Receptions in Early Modern English Drama
CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).

Amare ſimùl & ſapere vix cuiquàm dari, interitus Hæmonis docet.

Choriambici Aſclepiadæi.

, , N ec flammæ rapidæ, nec Boreæ trucis
, , Vis tanta, aut v alidi fulminis, aut maris
, , Vaſti : quanta, mali quando Cupidinis
, , Venas æſtus edax occupat intimas,
, , Et torret cupidum flammea fax iecur. 5
, , Vt feruor iuᵘenis cor penetrauerit,
, , Artes ingenium labitur in malas ;
, , Iactatur variè, nec Cereris ſubit
, , Nec bacchi ſtudium ; peruigiles trahit
, , Noctes ; cura animum ſolicita atterit ; 10
, , Abſumptus decor eſt priſtinus, & vigor ;
, , Inceſſus varius ſæpè tremens labat ;
, , Recta a mente miſer deſeritur ; ſalus
, , Spreta eſt ; & rabies fæda cor occupat ;
, , Non flectit ratio, nec ſapientia. 15
, , Vt lambens ſolidas flamma trabes vorat,
, , Et paruum in cinerem robora concidunt :
, , Vt rauci validus turbinis impetus,
, , Quodcunq; obſtiterit, funditùs abripit :
, , Sìc crudelis Amor viſceribus latens 20
, , Conquaſſat penitus rectum animi ſtatum ;
, , Secum cuncta rapit ; conſilium exulat
, , Sanum ; ſeſe animus præcipitat ſciens ;
, , Diſcedunt pietas, ius, decus, æquitas,
, , Virtus, ſancta fides, & roſeus pudor. 25
, , Mens quæ peſsima ſunt fertur in hæc libens,
, , Nec frœnos patitur, nec poterit regi ;
, , Verum fata furens accelerat ſua,
, , Morti ſæpè auidæ ſe ingerit o buiam,
Ergò cedat amor, ſi ſapis, improbus, 30
Dum ſanus poteris : nam leuis eſt Deus.
Tam veſana animus nè caleat face,
Sed primum prohibe ſtrenuus impetum:
Ad laudem celebrem sìc via ſternitur.

F I N I S.

<I2*v*>

CC BY NC ND 4.0 license. Transcription by Angelica Vedelago, revised by Carla Suthren (University of Verona).